














DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 159
COLLECTION

Casper und Johann

Bauhinus

DE PLANTIS A' DIVIS SANCTIS'VE NOMEN HABENTIBVS.

CAPVT


Ex magno volumine de Consensu & dissensu Authorum circa stirpes, desumptum.

IOHAN. BAVHINI ILLVSTR.
Princip. D.FRIDERICI Comitis Vuirtembergici, Montisbelgard. &c. Medici.


ADDITAE SVNT
CONRADI GESNERI MEDICI
Clariss. Epistolæ hactenus
non editæ,

A'

CASPARO BAVHINO Medico & Professore Basiliensi ordinario.



BASILEAE
Apud CONRAD. VVALDKIRCH.
cIↃ IↃ xcI.





NOBILITATE ET SPLENDORE GENERIS ORNATISSIMO, SINGVLARIQVE DOCTRINA PRAESTANTISS. DOMINO

D. IACOBO à Sancto MAVRITIO, Abbati monaſterij GOILIACI, D. MARIAE ſacrati, Domino BELLIFONTII, BELLIPRATI, &c. rebus ſtatus in Comitatu BVRGVNDIAE Præfecto, & à libellis Regiæ Maieſtatis Catholicæ.

HVMANITAS tua, ampliſsime vir, quam liquidò expertus ſum, quum te inuiſerem Veſuntij, deductus in cultiſsimũ hortum tuum per Generoſiſsimum Baronem Ioan. Gilleum Dominum in Marnant, &c. mœcenatem meũ ſummè colendum, ita meum

animum deuinxit, vt cogitauerim hactenus de occasione demonstrandi gratam mentem: Verùm, partim itinera mea præcedentibus annis per Galliam & Germaniam, partim negotia apud ægros complures, ac tumultus bellici, meum impediuêre conatum. Interim nihil ex mea voluntate diminutum, quin magis eadem adaucta est, præsertim accedente salutatione, quæ mihi indicata est tuo nomine, per Dominum Iohannem Theuenotum Secretarium Consiliariorũ Illustrissimi mei Principis, fidelissimum, amicũ meum singularem. Quum autem dubius animi essem, qua ratione meo possem desiderio satisfacere, & aliquid grati mittere, quo tuæ dignitatis hortum ornarem, neque inuenirem plantas, quæ raræ essent, illi nimirum offerendas, qui antè ijsdem abundat, & quidem pulcherrimis, rarissimisque vndique conquisitis, & à quo lubens aliquas expetiissem: nisi pudor mihi meus obstitisset, & nisi veritus fuissem accusatio-
nem

nem opportunitatis. Cæterùm existimaui me rem haud ingratam T. Dignitati facturum, si paruum munus chartaceum, instar præludij laboriosi & immensi mei operis nunc offerrem: potissimum eam ob causam, quod hęc minima eius pars aliquid commune habet cum nomine celebri antiquæ tuæ familiæ à S. MAVRITIO denominatæ. Voueo igitur Illustri tuæ amplitudini caput operis mei, quod est de plantis, quæ à Sanctis nomen habent, vt inde vel tantillum vestigium meæ gratitudinis erga T. D. appareat. Vtq; ea id tenui & leuidensi filo contextum munusculum bonam in partem accipiat, etiam atque etiam submisse oro: Thure quidem litat, ac mola salsa supplicat, & caua manu porrigit aquam, qui non habet aurum. Hoc sanè Bauhini tui studium (quod vehementer exopto) tu qui tanto ardore in stirpes flagras, & miro fauore in earum studiosos afficeris, gratum & acceptum amplexari digneris, & eum deinceps iuuare

velis exoticis ſtirpibus, qui maiori cum emolumento poſteritatis poſsit innumeros plurimorum errores commonſtrare, & è medio tollere. Interea ne prolixiore epiſtola negotia magis ſeria T.D. impediam, remorer've, finẽ huic epiſtolæ imponens, ei omnia fœlicia in IESV Chriſto Saluatore precor.

Montbelgardi. Anno
cIↄ Iↄ xcI.
Kal. Feb.

Illuſtri tuæ amplitudini deditiſsimus.

Iohannes Bauhinus D.M.

IOANNES BAVHINVS
Lectori, ex Horatio.

Non qui Sydoneo contendere callibus Ostro
Nescit Aquinatem potentia vellera fucum
Certius accipiet damnum, propiusq́; medullis,
Quàm qui non poterit vero distinguere falsum:
Quod verũ atq; decẽs curo & rogo & omnis in hoc sum.
Ac ne fortè roges quo me duce, quo lare tuter,
Nullius addictus iurare in verba Magistri,
Quo me cumq; rapit tempestas, deferor hospes.
Nunc agilis fio & mersor ciuilibus vndis:
Virtutis veræ custos, rigidusq́; Satelles:
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor.
Et mihi res, non me rebus submittere conor.

De Libro D. IOANNIS BAVHINI Doctoris in arte Medica celeberrimi, qui erit de Consensu & Dissensu authorum circa stirpes IOANNIS à GILLEY SEQVANI equitis, Baronis ac Domini in MARNOL.

Epigramma ad Lectorem.

Pegaseo fugiunt homini sua tèmpora cursu,
Cura sagax menti cognitionis inest.
Vberior variis est nulla scientia scriptis,
Quàm quæ aperit terræ cunctiparentis opes.
Hanc opera edisces Bauhini (Candide lector.)
Vnus erit grandis Bibliotheca liber.

Omnigenas pulchro complectitur ordine stirpes,
Iudicio excutiens quæ mala nota graui.
Gratia debetur tanto non parua labori,
Huic tribues, multi quod meruêre simul.

Aliud eiusdem.

NOn tot diuitias peregrinus in omnibus errans
(Crede mihi) terris, æquoribusq; feres:
Ac BAVHINI operis tibi lectio sedula tradet,
Quem complexa vlnis Pallas, & docuit.
Planitiem nitidis quæcunq; coloribus ornant,
Quæ natura dedit montibus aeriis:
Nominibus distincta suis descripta figuris,
Omnia fœcundus continet iste liber.

EPIGRAMMA D. IOHANNIS POSTHII GERMESHEMIJ, Clarissimi Doctissimiq; Medici.

QValis erit, quantusq; fuit RONDLETVS in vrbe
Monspelia, donec viuere fata dabant:
Talis erat, tantusq; fuit GESNERVS in vrbe
Heluetia, quisnam post modò tantus erit?
Phœbus ad hæc, nostra succedet in vrbe IVBERTVS
Gesneri partes, deinde BOHINVS aget.

DE STIRPIBVS PLANTISVE A DIVIS VEL SANCTIS DENOMINATIS, CAPVT DESVMPTVM EX CONSENSV ET DISSENSV AVTHORUM circa stirpes.



ANCTI ALBERTI herba Bononienſ. Barbarea minor, folijs Bugulæ, Blatariæ & Iſatidis, hactenus vſus nullus. LOBEL. obſ. p. 104. An Barbarea muralis. Iohan. Bauhini.

IOHANNES BAVHINVS. *Hanc herbam ſuſpicor eſſe eam, quam ante multos annos, antequam ſcripſerit Lobelius, mihi familiaris, Barbaream muralem vocaui, quamq́ aliquando Monſpelij collectam cum deſcriptione Clariſsimo viro Domino Geſnero, Præceptori ſine nomine cum alijs plurimis ſtirpibus tranſmiſi, vt ipſemet meminit in epiſtolis, ad quarum formas etiam plurimas figuras parandas curauit, quarum multæ à Doctiſsimo & diligentiſsimo ſtirpium indagatore Camerario in ſuum Matthiolum Germanicum ſunt relatæ. Eam non ſolùm Monſpeſſuli, verum etiam Geneuæ ac Montembelgardi, alijsq́ locis vicinis obſeruatam ſic deſcripſi. Herba folio Lunariæ biſcutatæ, interdum latiora, aſpera, hirſuta*

nonnihil: Caulis vnus cubitalis rotundus, rubescens, per quem multa folia, qui quandoque in plures ramulos rectos diuiditur, in quibus flores multi albi, succedunt dein siliquæ longæ, tenues, multæ, vt in Barbarea radix albida. Floret interdum Ianuario & Februario, vt obseruaui in vicino oppido Burgundiæ L'isle, vbi maxima mihi visa; familiaris ruderibus & muris.

CASPARVS BAVHINVS *Anatomes & rei Herbariæ in Academia Basiliensi Professor ordinarius, frater meus charißimus, qui plantas multas à me prius in Italia non obseruatas, diligentißimè collegit, hanc siccam vnà cum aliis mihi attulit hoc titulo. Dryophanon Plinij Guilandino & Draba altera, Thlaspi species; Erysimum tertium, nobilißimo Cortuso: hanc etiam obseruauit Basileæ in mœnib.* IOHAN. BAVHINVS.

Sancti Alberti herba] CAESALPINVS *de Pl. lib. 8. cap. 65. Herba Sancti Alberti vulgò appellatur quædam Irioni similis foliis magis laciniatis, læuibus, flosculis luteis, &c. eius semine vtuntur ad fistulas.*

IOAN. BAVHINVS. *Non existimandum hanc eandem cum præcedenti: color florum & lacinia ac læuitas foliorum repugnant.*

Lysimach. siliquosa. Sancti Antonj herba. *Antoniana herba foliis hirsutis, rarior inuentu, leuibus.* GESNERVS *de hortis. fol. 290. P. 1. Idem in fine operum*

Cordi,

Cordi, Filius ante patrem: ab aliis (in Germania inferiori præsertim) Antoniana vel S. Antonij herba, &c. At Romæ aliam herbam sic nominari audio, quæ eruditis Plumbago, Caustica, &c. Nostri Schoßkraut. *Dodonæus inter Lysimachias,* Braun/oder rot weyderich.

IOHAN. BAVHINVS. *Harum plantarum sex species tradit Gesnerus, & vocat Epilobia, quidam ad Lysimachias referunt: Idem de Col. stirp. fol 59. ait: D. Antonij herba, sic dicta, quòd igni sacro medeatur, aliqui Lysimachijs adnumerant, vt Fuchsius. Sunt qui filium ante patrem vocent. plures huius sunt species. Item P. 81. Herba S. Antonij. Item fol. 87. Lysimachij genus secundum quosdam, quod herba scilicet Antonij vocatur.*

Item de hortis fol. 247. Antoniana, vel S. Antonij herba: Species sunt tres, aut quatuor.

Sancti Antonij herba Romæ. *Molybdæna Plinij, &c.* ANGVILARA *epist. 12. p. 211.*

GESNERVS *in fine hist. Cordi. Antonianæ, & S. Antonij nomine Romæ nominari audio, quæ eruditis Plumbago Plinij videtur, causticam & ignis instar vrentem.* Dentellaria Rondeletij.

CLVSIVS *Hist. Hispa. lib. 2. cap. 73: Sunt qui Molybdænam, hoc est, plumbaginem Plinij putent. Vulgò Herba S. Antonij dicitur, Narbonensib. meo tempore Dentelaria appellata est.*

CAESALPINVS *libro 5. pl. cap. 60. Isatis*

Syluestris fuerit, quæ vulgò herba Sancti Antonij vocatur, &c.

CAMERARIVS *in Horto. p. 102. Molybdena, siue plumbago Plinij: Romæ, herba S. Antonij. Italis cæteris Crepanella in Illyria.*

IOAN. BAVHINVS. *Hanc cum descriptione Monspelij collectam, ante plures annos misi Præceptori meo Gesnero, nomine Dentillariæ Rondeletij, quam etiam vno circiter miliari ab Auenione iuxta castellum Papæ obseruaui: Lugduni etiam in horto habui: visa etiam Basileæ in horto Domini Doctoris Felicis Plateri. Bononiæ cum essem, Præceptor meus stirpium peritissimus Dominus Vlysses Aldroandus Plumbaginem vocabat.*

Scrophularia tertia. Sancti Antonij herba.] HISTORIA *plant. lib. 8. cap. 44. Recentiores, plantæ Rutæ nomen indididerunt, & caninam & fœtidam appellarunt. Dodonæus in stirpium Historia, Galiopsim, aut Scrophulariam tertiam, quidam S. Antonij, &c. Ruta canina, herba S. Antonij Lobel.*

IOAN. BAVHINVS. *Olim vidi Eslingæ in horto cultissimo Ioan. Volmarij, piæ memoriæ, Pharmacopœi vigilantissimi, cuius vestigiis insistit ipsius filius, amicus meus, qui hortum medicum Ducis Vuirtembergici Stutgardiæ, incœpit. Illi autem dicebatur Sesamoides. Inter plantas Monspessulanas, eam cum descriptione breui Doctori Gesnero transmisi.*

Sancti

Sancti Antonij herba *Belgis*] *Betonica aquatilis altera, Clymenum aliqui affirmant.* ADVERSARIA *Lobelij & Pennæ.*
Scrophularia maxima.

LOBEL. *obs. p. 286. Betonica aquatica Septentrionalium, Belgis S. Antuenis* cruyt.

DODONAEVS *hist. Gal. lib. 1. cap. 30. Scrofularia maior secunda, Belgis S. Antuenis* cruyt. *Idem histor. Lat. Pemp. 1. lib. 2. cap. 31. Sancti Antonij herba.*

HISTORIA *Generalis lib. 11. cap. 80. Terebintharia Dilsij. Ocimastrum alterum Tragi. Belgis S. Antuenis* cruyt, *id est, herba S. Antonij.*

Sancti Antonij herba.] SCHVENCKFELT *in Thess. pharm. lib. 1. cap. 2. Prunella, Symphytum minus, herba D. Antonij, non est* σύμφυτον πετραῖον, *quod propriè Germanis* Steingunsel *vocatur.*
Prunella.

REFORM. *Vuorm. sect. 1. fol. 32. Prunella, herba D. Antonij, S. Anthonij* kraut.

Sancti Antonij napus.] DODONAEVS *hist. Gal. lib. 3. cap. 73.* βατράχιον *Apulei, Belgis S. Antuenis* räpken. *Idem de purg. lib. 3. cap. 4.*
An ranunculus bulbosus.

Sancti Antonij nuculæ.] DODONAEVS *hist. Gall. lib. 6. cap. 60. fructus Staphylodendri Plinij, Belgis Sint Antuenis* nootkens.
Staphylodendron.

Sancta arbor] *vide Sanctū lignū de Guaiaco.*
Guaiacū.

Sancta arbor Gallis] *Azadarach vulgò apud Auicennam, tametsi huic per omnia non conue-*
Azaradacheni.

niat. Pseudosycomorus monachorum in Italia Perlaco, arbore de gli pater nostri, Ziziphas alba aliis. Pelicerio, Lotus alba, Rauvuolsio in itinerario zenselacht: *Rhasio Astergis.* CAMERARIVS *in horto pl.25.*

CASTOR *Durantes p. 41. Arbor sancta Sycomorus.*

Macer. Sancta arbor. *de Macere, vide Sancti Thomæ arbor.* IOAN. BAVHINVS.

Saccharũ. Sancti Aridomaci. *Saccharum ignobilissimum.* DISPENSARIVM *Coloniense.*

Barbarea. S. Barbaræ herba. *vulgò Barbarea.* ADVERSARIA *p.70.*

TRAGVS *lib. 1. cap. 32. herba Sanctæ Barbaræ.* S. Barbelkraut.

LONICERVS *lib. 5. cap. 197.* S. Barbara kraut. *Latinis herba S. Barbara.*

RVFFIVS *in Diosc. lib. 4. cap. 28. Haud immeritò quidam arbitrantur, Achilleæ speciem esse eam herbam, quam Germani* Sant Barbaren kraut. *Galli verò Carpentariam appellant. Item lib. 2. cap. 109. Bunium Germani,* Sant Barbaren kraut.

FVCHSIVS *hist. cap. 285. S. Barbaræ herba. Germ.* S. Barbaren kraut / *Gallis, L'herbe de Saincte Barbe. In Epitome Hispanica, herba S. Barbaræ. Yerua de Santa Barbara.*

DODONAEVS *hist. Gall. lib. 5. cap. 61. Germani*

man. S. Barbara kraut. *Latinè S. Barbaræ herba. Gall. herbe S. Barbe.*

DISPENS. COLON. *Sisymbrium, Barbarea, vel herba S. Barbaræ, apud Fuchsium vulgò* winter kräß. *q. d. Nasturtium hybernum.*

IOANNES BAVHINVS, *miror dici sisymbrium.*

HARCHIVS *in enchir. p. 253. herba S. Barbaræ, Dodonæo* ψευδοβούνιον *Diosc.*

FAVARDVS *in Gale. de stirp. lib. 8. cap. 167. Barbaræ herba, vulgò herbe de S. Barbe.*

HISTORIA *Generalis p. 650. Eruca palustris, vulgaribus herbariis S. Barbaræ herba. Dodonæo Barbarea, Gallis l'herbe de Saincte Barbe. German.* S. Barbara kraut.

HERBARVM *imagines Egenolphi p. 45. Bunium,* S. Barbaren kraut.

GESNERVS *de col. stirp. fol. 62. S. Barbaræ herba, quam Galli Carpentariam vocant: Italis herba sancta. Idem de hortis Germ. fol. 258. Matthiolus pro Erysino pingere videtur herbam Barbaræ vulgò dictam.*

CAMERARIVS *in horto medico, Bunium adulterinum, seu pseudobunium Diosc. quorundam herba S. Barbaræ, herba sancta.*

THALIVS *in Harcynia. p. 811. Nasturtium hybernum. Flos S. Barbaræ, Pseudobunias Anglorum, Barbarea Dodonæi.*

Solanum vulgare. S.Barbaræ herba.] TOXITES *in onom. Philos.p.261.* S.Barbaren kraut / Nachtschat/ *Solanum, herba S.Barbaræ.*

Gariophyllata. S.Benedicti herba.] CASPARVS BAVHINVS *frater: Nostratium mulieres aliquæ, Gariophyllatam vulgarem,* Sant Benedickten kraut *vocant: communiter tamen* Benedickten wurtzel.

Carduus Benedictus. Sanctus Carduus.] CATALOGVS *Francoford. p. 18. Carduus Benedictus, seu Carduus Sanctus.*

CAMERARIVS *in hist. Matthi. German. lib.3. cap.14. Carduus benedictus aut sanctus. Hispanicè Cardo sancto. Idem in horto med. p.34. Carduus Benedictus, Italis sanctus.*

CAESALPINVS *de plant. lib. 13. cap. 48. Carduus sanctus, siue Carduus benedictus, describitur à Theophr. pro altera Cnico Syluestri. Plinio altera hirsutior. Dioscorides atractylidem vocat, &c.*

Sancto Carlo.] HISTORIA *gener. lib.18. cap.46. Radix Carlo Sancto Monardi.*

CASTOR *Durante, Carolus Sanctus. Ital. Carlo Sancto.*

MONARDES *ex versione Clusij. p.19. Carlo Sancto, Indica radix.*

Tussilago. S.Carijus cruyt *Belgis, Tussilago.* DODONAEVS *hist. Gal. lib.1. cap.12.*

Sanctæ

S.Catharinæ herba. *In Italia Balsamina altera. Anguillara epist. 13.* Balsamina fœmina.

S. Catharinæ flos. S. Catharinen Blumen. *LONICERVS lib.5.cap.178.*

IOAN. BAVHINVS. Quid velit Lonicerus, ignorare illum puto, & varias plantas simul confundere: quædã tamen in descriptione cõueniũt cum Melanthio aruensi, licet figura non respõdeat. Melanthium aruense.

DODONAEVS hist. Gal. lib. 2. cap. 83. docet Melanthium syluestre Germanis vocari S. Catharinen Blumen.

S. Catharinæ flos.] *RVFFIVS lib. 3. cap. 58.* S. Catharinen Blumen / *Germ. peregrina herba ex Italia allata nuper.*

IOAN. BAVHINVS. Hoc titulo apud Ryffium pingitur Antirrhinum, verùm figura mala, nimium lini folia exprimens. Antirrhinum.

HERBARVM imagines Egenolphi p. 178. Flos S. Catharinæ, S. Catharinen Blumen.

IOAN. BAVHINVS. Figura mala.

S. Christophori herba.] *MATTHIOLVS lib. 5. epist. ad Cortusum Patauinum p. 536. Planta radice odorata, & astringente, quæ foliorum facie Agrimoniam refert. Nostrates mulieres, si rectè memini, herbam Diui Guillelmi appellant, quemadmodum nostrates S. Christophori vocãt.* Vlmaria.

IOAN. BAVHINVS. Per præcedentẽ plantam intelligo Anguillaræ epist. 13. Potentillam lau-

datam lib. de dinamis Galeni. An Cordo lib. 1. cap. 25. hist. Medisußium. Vbi in margine est annotatum, esse Argẽtillam maiorem, quæ & Krampffwurtz dicitur. Nobilißimus & stirpium studiosißimus, & erga me humanißimus Dominus Iacobus Antonius Cortusus, Patritius Patauinus, cum essem Pataui, vocabat Chr[illegible] comem. Præceptor meus Gesnerus, cùm ei Tiguri essem conuictor, vocabat Vlmariam, Jmben kraut. *Is etiam lib. de hortis ait: Tragus Vlmariam quorundam, Barbam capræ nominat. Frater Caspar Bauhinus annotauit vocari Argentillam.*

Actæa quibusdã siue Sancti Christophori herba.] DODONAEVS *hist. Lat. pemp. 3. li. 3. cap. 12. Nostra ætas Christophorianam, & S. Christophori herbam vocitat. sunt qui costum nigrum dicunt: alij malunt Aconitum Bacciferum nominare. Idem de purg. lib. 3. cap. 11.*

CASTOR *Durantes p. 124. sui herbarij, Christophoriana. Ital. herba di S. Christophano, Aconitum Bacciferum.*

BENEDICTVS *Aretius in descript. montis Stocchornij* Christoffels kraut / *aliis* Wolffs kraut / *Aconitum racemosum, Christophoriana.*

Aconitum racemosum.

IOAN. FABRICIVS *in descr. montis Galandæ. Christophoriana.*

IOAN. BAVHINVS. *Hanc plantam sponte prouenientem copiosè reperi in monte Bar, pro-*

pe

pe Montembelgardum, vnde transtuli in hortum Illustrißimi mei Principis, quem exornandum curo diuersis plantarum generibus, vt in hoc honesto studio eius Celsitudini gratificer. Geneuæ habui in horto. Insignis Philosophus & Medicus Theodorus Zvuinggerus habebat aliquando Basileæ in horto. Frater Casparus Bauhinus obseruauit in monte Mouttetz, non longè Basilea, in quo monte multæ pulchræ plantæ, quas aliquando cum cæteris circa Basileam nascentibus plantis consignaram: verùm earum pleniorem descriptionem relinquam Charißimo fratri, vt qui plantas montis Mouttetzæ alumnas descripsit. Cæsalpinus vir sanè doctus, & circa stirpes optimè exercitatus hanc herbam nomine Barbæ capri libro 5. capite 25. describit.

Sancti Christophori herba.] APOLLO rad. 1. in elect. resump. fol. 71. p. 2. Gnaphalium, quibusdam herba S. Christophori, vel Filius ante patrem, alijs Impia Plinij. Impia Plinij.

Sancti Christophori herba Dodonæo. Filicastrū Ruellio. GESNERVS de lunarijs. p. 36. Filix floribus insignis.

DODONAEVS hist. Gal. lib. 3. cap. 61. osmunda, quibusdam S. Christoffels Cruyt.

HIERONYMVS herb. in apod. Germ. apud BRVNFELSIVM tom. 3. Sant Christoffels Blumen. Latinè os mundi, species Filicis non omnibus cognita.

Sancti Christophori herba] TOXITES in onom philos. p. 298. Wild någel / S. Christoffels Blumen / Friß någelin. Herba tunica, Herba S. Christophori. Betonica agrestis.

Betonica altera syluestris. Armœnia syluestris quibusdã.

IOAN. BAVHINVS, ego intelligo Betonicam syluestrem, Dondernågele / Feldtnågele. Fuchsio in hist. cap. 134. quæ LONICERO lib. 5. capite 132. Tunica syluestris, Dondernågelin dicitur.

Vicia multiflora dumetorum perennis.

Sancti Christophori herba] TRAGVS lib. 2. cap. 16. Vicia quæ in dumetis nascitur, ἄφακή est Diosc. Latinis Os mundi. Germanis verò Sant Christoffels kraut: aliàs, Schwartz Linsen nuncupata.

GESNERVS de lunariis p. 37. S. Christophori herba viciæ genus in dumetis nascens Trago.

HARCHIVS in ench. simpl. p. 113. Vicia in dumetis admodum procera Aphace Diosc. Lat. Os mundi Germ. S. Christoffels kraut / ꝛc.

Vicia syluestris vulgaris.

Sancti Christophori herba] LONICERVS lib. 5. cap. 358. Wild wicken / & Feldwicken. S. Christoffels kraut. Aphace vulgò vicia syluestris.

IOAN. BAVHINVS. Figura nec descriptioni, nec nominibus respondet.

DODONAEVS hist. Lat. pempt. 4. lib. 3. cap. 9. Ἄραχος, Craca, Germ. Wilde wicken / & S. Christoffels kraut. Item hist. Lat. frument. ca. 67.

FVCH-

FVCHSIO *hist.cap.38.* Sant Christoffels kraut *esse potest, si habeatur ratio descriptionis, & non figuræ.*

IOAN. BAVHINVS. HISTORIA *generalis pl.lib.4.cap.52. Aphace rectè fortaßè dicetur legumen, quod Matthiolus nomine Viciæ exhibuit, &c. Syluestrem Viciam Dodonæus Arachum nominat: Germanis* Wilden wicken / & S. Christoffels kraut. *Ruellius Craccam appellari refert. Fuchsius Aphacem vocat, Matthiolus viciam. Quorum sententiam improbat Dodonæus, &c.*

IOAN. BAVHINVS. *Figura posita à Fuchsio pro Aphace, non videtur conuenire cum sua descriptione, quia non viciæ syluestris in aruis nascentis, sed eius quæ ad sepes: ex qua Matthioli figura Aphacæ conuenit: figura verò, quam authores Historiæ ponunt ex Matthiolo, hoc titulo Aphaca vera, Vicia Matthiolo est, ac falsa, itaque miror cur eam desumpserint vt exprimerent Arachum Dodonæi, siue eius S. Christophori herbam. verum de his plura sub Aphace, vel Vicia.*

S. Claræ herba] CASPARVS BAVHINVS *frater meus: Monspeliensibus herba ea, quæ phu minimum Aduer. Lobelio in Icon. & Herb. Lug. dicitur Herba S. Claræ, & clareta meo vocabatur tempore.* Locusta herba.

S. Crucis herba] CASPARVS BAV- Nicociana.

HINVS frater. Castor Durantes dicit: Appellant Indiani Picielt, quam Latini herbam S. Crucis & Nicocianam, Hispanis Tabaco. Ital. Herba S. Cruce.

Viscum.

Sanctæ crucis lignum] *AMATVS Lus. lib. 3. cap 101. Ligni viscum, Gentilis Fulginas ac Iacobus de Partibus, in vsum duxerunt, & ipsum ob præclaras illi insitas vires Lignum S. crucis appellarunt, &c.*

Lignum Aloes.

Sanctę Crucis lignum] *RVFFIVS in Diosc. lib. 1. cap. 21. Verum Agallochum, Germani* Deß Heyligen Creützes holtz/ *hoc est, lignum S. crucis, appellant.*

Quercus.

Sanctæ Crucis lignum] *GOROPIVS in Vertumno p. 131. Scio non defuisse, qui ex diuersis lignis crucem [Saluatoris nostri IESV CHRISTI] composuerint, & alios quidem tria, alios quatuor genera coniunxisse: sed inanibus coniecturis. Si diuersitas materiei admitteretur, ea in solida cruce duobus generibus contineretur, &c. Quando in Paradiso terrestri Lignum vitæ, veluti certum quoddam genus arboris commemoratur, & id ad materiam Crucis refertur, non videor mihi veritati consona dicturus, nisi ex vno arboris genere crucem constitisse dicam. ad quod ea quæ de arbore vitæ in Paradiso plantata dicuntur, referuntur, pertinere intelliguntur. Pace igitur aliorum, qui nullo solidæ rationis fundamento varia*

ligna

ligna ad crucem construendam coniecerunt, mihi fas sit dicere. Quorum generatim pro glandifera arbore acceptam vitæ arborem in Paradiso fuisse, &c.

IOAN. BAVHINVS. *Plura videant Lectores capite de Lignis.*

Sanctæ Crucis tribulus] *Vide Sanc. Mariæ Carduum.* Carduus marianus.

Sanctum Fœnum] HISTORIA *generalis libro 4. cap. 67. Medica satiua Dodonæi, Gallis* Sainct foin. Medica.

S. Francisci spina] CAESALPINVS *de pl. lib. 13. cap. 28. Eryngium simpliciori caule, cacuminibus cæruleis, pulchro aspectu: in monte Auerno Apennini, spinam Sancti Francisci vocant, & tanquam sacram ferunt in domos, qui ea loca visitant.*

CAMERARIVS *in obs. adiectis histo. Matth. Germ. lib. 3. cap. 19. ait: Eryngium quoddam prouenit à vulgari non dissimile, minoribus cum foliis, quod vbi excreuit, totum cæruleum euadit. Sæpius reperitur in Sabaudiæ montibus, & circa Geneuã. Vna species solum prouenit in monte Auerno Apennini, vbi vocant Spinam S. Francisci, caput oblongum est, & maius cæteris.*

IOAN. BAVHINVS. *Eryngium cæruleum quod noui (excipio alpinum Geneuense & planum Matthioli) non habet capita longiora, nec maiora*

cæteris. Si Camerarius non separasset speciem S. Francisci, eandem existimassem hanc spinam cum Eryngio cæruleo multis denominato: quod primum obseruaui ante 28. annos Eslingæ in horto cultissimo Ioan. Volmarij, Pharmacopœi: id etiam vidi in horto Domini Doctoris Felicis Plateri: Medici insignis: habui etiam in horto Illustriss. Principis mei Montembelgardi.

Sanctæ Floribus] *Deficientib. Sepia,* TRACTATVS *qui, pro quo.*

S.Gauther] IOAN BAVHINVS: *optimum pomorum genus in vicinis Lotharingiæ locis,*

Pomus. *vt Fontenoy, audio dici pommes S. Gauthier.*

V. Pæonia. S.Georgij rosa] TOXITES *in onom. Philos. p. 237.* Sant Jörgen Blumen / *flos Pæoniæ, Rosa S. Georgij.*

I. Liliũ conuallium. S.Georgij flos] CLVSIVS *in Pannon. lib. 2. cap. 22. Lilium conuallium, Austriacis* Weissen Baldrian / *Vngari* Zent Gyôrgy *Veraga, hoc est, Sancti Georgij florem nuncupant. Idem in nomencl. Pannonico.*

IV. Anblatũ Cordi. S.Georgij radix] CLVSIVS *in hist. Panno. lib. 3. cap. 7. Anblatum Cordi, vel Dentaria maior Matthioli, nobis Dentaria.* ἄφυλλ☉ *prima vel maior, à Rhizotomis mulierculis* S. Georgwurtzel. *S. Georgij radix nuncupatur.*

CAMERARIVS *apud Matth. hist. Germ. li. 4. c. 415.* Froysenkraut / *Anblat,* In österreich

Sant

Sant Georgen wurtzel. *Radix squamata.*

IOAN. BAVHINVS. Dodonæus lib. frument. hunc ad Linodori genus referendum censet. In Iconibus Plantini, pingitur nomine Dentariæ maioris Matthioli. Hanc pulchram plantam copiosè reperi in monte non longè Montbelgardo, dicto Bar, in quo multæ pulchræ proueniunt stirpes.

S. Georgij herba] *DODONAEVS hist. Lat. Pemp. 3. lib. 1. cap. 25. Valeriana satiua, Germanis* Groß Baldrian: *nostris* S. Iorys cruyt. *Idem de hist. Gal. lib. 3. cap. 17. Idem de purg. libro 1. capite 25.* III. Valeriana hortensis.

SCHVVENCKFELDT in Thes. phar. lib. 1. pag. 21. Valeriana, Phu Germanicum, herba benedicta, herba D. Georgij.

S. Georgij violas *Montbelgardi vocant Leucoium luteum. IOAN. BAVHINVS.* VI. Leucoium luteũ.

S. Georgij fructus] *AMATVS Lusitanus lib. 4. enar. 155. Cucumis agrestis, Lusitaniæ Pipinos di Sancto Georgio.* II. Cucumis agrestis.

IOAN. BAVHINVS. Apud Amatum excusum Lugd. cum annot. Rob. Const. figura apposita, quæ nullo modo cucumis est syluestris.

S. Guillelmi herba. *Vide S. Christophori herba pro Vlmaria.* Vlmaria.

S. Guyteriæ herba] *CLVSIVS in hist. Hisp. lib. 2. cap. 65. Chondrillam priorem, nonnulli Hispani vocant Yerua di S. Guyteria.* Hedypuris Monspeliensiũ.

Historia gener.lib.5.cap.15.Hispanis Yerua di S.Guyteria Clusio, plurimũ ad primam Dioscoridis Chondrillam accedere videtur. Hanc Lobelius Verrucariam chondrillam appellat, &c.

Ioan. Bauhinus. *Chondrilla verrucaria ab hac differt, & pulchrè depicta est apud Matth.hist.Germ. vbi figura Gesneri per doctißimum Camerarium addita nomine Zazynthæ. Non placet huius Hieracij duas figuras poni ab auctoribus historiæ Herbarij Lugdunensis. Vnam nomine Chrondrillæ prioris Clusij, quæ nõ multum mihi probatur: alteram imperfectam, cap. 16. nomine Hieracij magni Dalechampij. Si Lobelio & Pennæ in Aduersariis credimus, qui hanc plantã dentem Leonis Monspeliensium vocant, erit Cichorium Constantinopolitanum Matthioli, quod facilè suspicor. Verum figura peßimè picta, nec caules sunt simplices, nec bulbi ita dispositi in radice. Hanc plantam ante 24. annos siccam cum descriptione Præceptori meo Domino Gesnero nomine Hodypnoidis Monsp. & Dentis Leonis Monspessularij missi: ea mihi Geneuæ aliquando ad duos cubitos in horto excreuit, ac asperam pertulit hyemem.*

Phyllon vtrumque. S.Guyteriæ herba] Clusius *in hist. libro 2.cap.56. Phyllum marificum, & phyllum fœminificum. Hispani in agro Salmanticensi, vtrumque vocant Yerua di S. Guyteria.*

Ioan. Bauhinus. *Doctißimus Camerarius*

merarius pulchras figuras habet huius plantæ ex figuris Gesneri præceptoris mei obseruandissimi, cui plantas siccas depingendas, Monspelij collectas, miseram cum suis descriptionibus. Cultum in hortis, vt obseruaui in meo, Geneuæ, & Basileæ in horto Cl. Medici D. Doctoris Fœlicis, folia fert multo maiora, quàm Monspelij, vt penè diuersa appareat planta.

S. Helenæ radix] CLVSIVS *in desc. peregrinarum stirpium, p. 32. DraKena, magnam affinitatem habere videtur cum radice S. Helenæ, de qua Monardes in libr. simpl. è nouo orbe delatorum.*

CATALOGVS *Francofor. p. 64. Radices S. Helenæ,* Sant Helenen Wurtzel.

HISTORIA *gener. pl. lib. 18. cap. 46. Pater noster, vel Radix S. Helenæ Monardi.*

Sancta herba. *Vide Sancta sana, de Nicotiana.* Nicotiana.

Sancta herba. *Vide S. Barbaræ herba.* Barbarea.

Sancti Iacobi herba vel flos] ADVERSARIA *p. 79. Iacobæa Senetio, herba Sancti Iacobi.* Iacobæa.

PLANTINVS *iconum p. 227. Iacobæa Senetio, & herba S. Iacobi. Lob. 113. Teut. 271.*

TRAGVS *lib. 1. cap. 79. flos S. Iacobi: Germanis* Sanct Jacobs Blumen / & Sanct Johans Blumen.

LONICERVS *lib. 5. cap. 79.* S. Jacobs Blum/*Flos S. Iacobi.*

BRVNFELSIVS *Tom. 2. p. 60.* Sanct Jacobs Blum.

DODONAEVS *hist. Gal. lib. 1. cap. 47. herba S. Iacobi, & Sancti Iacobi flos: Gal. l'herbe, ou fleur de S. Iaques: Germ.* Sanct Jacobs Blum. *Belg.* Sent Jacobs cruyt/ *&* Sanct Jacobs Bloemen.

FVCHSIVS *hist. cap. 283. Vulgò S. Iacobi flos, aut herba. German.* Sanct Jacobs Blum. *Gallicè, l'herbe de S. Iaques. In epitome Hispanica herba S. Iacobi. Yerua di Sant Iago.*

HERBARVM *imagines Egenolphi p. 163. herba S. Iacobi,* S. Jacobs Blum.

CAESALPINVS *de pl. lib. 12. cap. 37. herba S. Iacobi, Vulgo quasdã habet differentias in folijs: huic. n. folia figura erucæ laciniata sunt, alteri ad raphani folia accedũt magis, sed minus hirsuta.*

FRANCISCVS *Calzeolaris in descriptione montis Baldi, Fior di S. Giacobo.*

FAVARDVS *in Galen. de simpl. li. 8. cap. 166. flos S. Iacobi, vulgariter, fleur de S. Iaques.*

HISTORIA *Generalis lib. 5. cap. 18. Senetio maior, siue flos S. Iacobi, Fuchsio, herbarijs vulgò herba S. Iacobi & S. Iacobi flos: Gallicè l'herbe de S. Iaques: German.* S. Jacobs Blum. *Item Senetio maior, siue flos S. Iacobi Matthioli.*

IOAN.

IOAN. BAVHINVS. *Historia duas habet figuras, meo iudicio vna sufficeret.*

ADVERSARIA *p. 79. Iacobæa Senetio, herba Sancti Iacobi: Belgis, & German.* Sanct Jacobs Blum.

MATTHIOLVS *in epist. lib. 2. ad Hieronymum Heroldum p. 355. Plantam, quam Germani florem Sancti Iacobi vocant, maiorem esse senecionem facilè & tibi & Trago concedam. Idem Hist. Germ. lib. 4. cap. 94.* S. Jacobs Blum/ *Senetio maior, siue flos S. Iacobi.*

GESNERVS *de col. stirp. fol. 82. D. Iacobi herba. Item D. Iacobi flos.* Polygonū.

S. Innocentij herba] CASPARVS BAVHINVS: *Polygonum siue centinodiam dictam, à quibusdam herbam S. Innocentij esse nominatam, author est Carolus Stephanus lib. 1. cap. 12. part. de sputi sanguinei curatione: ait enim interpres* Wegtritt/oder Taussentknopff/ sonst Sanct Innocents kraut genañt.

Sancti Iacobi herba marina] DODONAEVS *hist. Gal. lib. 1. cap. 47. Iacobæa marina, l'herbe Sainct Iacques marine.* Iacobæa marina, siue Cineraria.

IOAN. BAVHINVS, *Plantam hanc primum Bononiæ in horto di S. Saluator, al Burgo di S. Catharina obseruaui: quam aliqui Cinerariam & Chrysogonum Dioscor. vocabant. Florentiæ etiam mihi visa in horto Nicolai Ferrariensis, & à*

Innocenti. Doctißimus P. Penna, & Lobel. describunt & depingunt nomine marinæ Iacobeæ, vel Chrysanthemi, & Artemisiæ marinæ neotericorum.

Ribes. S. Iohannis baccæ] CASPARVS BAVHINVS: *Germani Ribes, qui Ceanothi Theophrasti species quibusdam videtur, non solum D. Iohannis racemos, sed & baccas vocare solent,* S. Johannes Beer: *quare Ceanothus leuis, ad differentiam Ceanothi asperi, qui est vua crispa, dici potest. Vide postea Sancti Ioannis racemos.*

Bellis maior. S. Iohannis flores] EVCHARIVS *in herb. p. 197.* Rinds aug.

IOANNES BAVHINVS. *Figura Bellidis maioris adposita.*

LONICERVS *lib. 5. 66.* Sanct Johans Blum / groß vñ klein. *Buphthalmus, oculus bouis, Flos S. Ioannis.*

IOANNES BAVHINVS: *Bellidis maioris non obseruaui duas species, licet Lonicerus pingat duas. habetur quidem media, sed diuersa ab ea quam pingit, quæ quidem circa Tigurum abundat.*

TRAGVS *hist. lib. 1. cap. 45. Bellis maior, Barbari Moguntinenses* S. Johans Blumen / *hoc est, florem S. Ioannis vocant.*

GESNERVS *de col. stirp. fol. 62. Bellis maior, Vulgo D. Ioannis flos.*

VVIN-

VVINCLER in chron. Iunio Sanct Johans Blum. *Bellis.*

S. Iohannis flores] DODONAEVS hist. Gal. lib. 2. cap. 33. *Chrysanthemum, Germ.* S. Johans Blum. Chrysanthemum.

S. Iohannis balteus] TOXITES in Onomast. Philos. pag. 137. Sanct Johannes Gürtel/ Sanct Johannes kraut. *Balteus Sancti Iohannis. Vide postea S. Ioannis herba.* Artemisia.

Sancti Ioannis herba] EVCHARIVS p. 89. *Artemisia*, Sanct Johans kraut/ Sant Johans Gürtel. Artemisia.

BRVNSCHVVEIG *S. Iohannis herba non est artemisia, vt quidam volunt.*

LONICERVS lib. 5. cap. 170. S. Johannes Gürtel/ Beyfuß.

RVFFIVS in Diosc. lib. 3. cap. 108. ἀρτεμισία, *Germanis*, S. Johans Gürtel.

GOROPIVS in Hermat. lib. 7. pag. 139. *Arthemisia, olim herba Iani, nunc Diui Iohannis. Item in Vertumno, p. 47. Herba S. Iohannis: Item in Gallicis lib. 5. p. 127. Artemisia, nobis S. Ioannis herba, olim Iano sacrata, &c.*

BRVNFELSIVS in herb. tom. 1. Rhaps. 52. *Artemisia*, Beyfuß/ S. Johans Gürtel.

FVCHSIVS hist. cap. 13. Bucken/ Sanct Johans Gürtel/ *Germanis: Gallis, l'herbe de S. Iean. Artemisia.*

HARCHIVS in enchir. p. 24. Artemisia, Gallis l'herbe de S. Iehan. Brabantis Sint Johans Cruyt. Germ. S. Johans Gürtel.

LOBELIVS obs. p. 340. ἀρτεμίσια Gal. l'herbe de S. Iehan.

APOLLINARIS de experim. lib. 2. Beyfuß/Sanct Johans kraut/Sanct Johans Gürtel.

REFORM. Vuorm. Sect. 1. p. 24. Artemisia S. Johans Gürtel.

TRAGVS hist. Gal. lib. 1. cap. 9. Mater herbarum Gal. l'herbe de Iehan. Germ. Sant Johans Gürtel/Belg. Sint Jans Cruyt. Idem hist. Lat. Pemp. 1. lib. 2. cap. 12.

VVIRSVNG Sanct Johans Gürtel/Beyfuß.

IOAN. Agricola in med. herb. lib. 1. cap. 186. Artemisia S. Johans Gürtel.

FAVARDVS in Gal. simpl. lib. 6. cap. 45. Artemisia, vulgo l'herbe de S. Iehan.

HISTORIA general. lib. 8. cap. 33. ἀρτεμίσια, Gallis armoisse, & l'herbe S. Iehan. Germ. Sanct Johans Gürtel.

MATTHIOLVS in hist. Germ. libro 3. cap. 91. Beyfuß/S. Johans Gürtel.

Artemisia latifolia. S. Ioannis cingulum] CASPARVS BAVHINVS vulgaris est Artemisiæ appellatio apud nostros, nomine Cinguli S. Iohannis, S. Jo-

Johannes Gürtel. *quod & plures nominant Herbarij sub Germanico nomine. Vide Sancti Iohannis herba.*

S. Iohannis herba] *RVELLIVS lib. 3. capite 61. Habetur & Artemisiæ genus aliud minutis foliis, circa riuulos aggeresq́; &c. vulgus Diui Iohannis herbam vocat.* Artemisia tenuifolia.

IOAN. BAVHINVS. Hanc existimo traditam ab Aduersariis p. 340. nomine Artemisiæ tertiæ Dioscoridis Leptophylli, quæ alioqui Matthiolo Ambrosia, à qua nondum distinguo: quamuis diuersam faciat Lobelius. Clusius in hist. Hispanica capite 57. describit, & veram Artemisiam tenuifoliam 2. nominat, ac Ambrosiam malè vocari ait. Hanc ante multos annos cum descriptione Præceptori meo D. Gesnero misi, verùm de hac alias plura. Monspelij, Basileæ, Bononiæ & multis aliis in locis, reperi.

Sancti Iohannis herba *nuncupata vulgò. APOLLO rad. 4. fol. 145.* Mētha Sarracenica, siue costus hortensis.

IOANNES BAVHINVS. Vide postea S. Mariæ herba, de Mentha siue costo hortensi.

Sancti Iohannis flos. *Vide antè S. Iacobi de Iacobæa.* Iacobæa.

Herba Sancti Iohannis. *Vulgi Sclarea. Lobel. obs. p. 301.* Gallithricum satiuum.

BRASAVOLVS in exam. simpl. Sclarea, herba S. Iohannis, Ferrariæ.

IOAN. AGRICOLA in med.herb.lib.1.pag. 53.herba S. Iohannis Ferrariæ vocata, quam Simon Genuensis centrum Galli, &c.

ALOYSIVS Mundella, in annot. in examen simpl. Brasauolæ. Mirum nobis videtur, te non refutasse Simeonis Genuensis opinionem; qui quam vocant sclaream, siue herbam S. Iohannis, cristam gallinaceam interpretatus fuerit.

CLVSIVS in Pannon. lib.3.cap.72. Mihi scarlea vulgaris, siue sclarea, quam Galli Oruale, Vngari Zent Janos Fiue/hoc est S. Ioannis herbã vocant, Horminum syluestre primum erit. In nomenclatore Pannonico Orminum syluestre Gallithricum & scarlea, vulgo Zent Janos fiue/hoc est, S. Ioannis herba.

AMATVS Lusit. in Diosc. lib.3. enar.142. Sclarea, aut S. Ioannis herba.

MATTHIOLVS in Diosc. lib.3. cap.128. Ruellius & Fuchsius credunt Horminum satiuum eã plantam, quæ à nonnullis herba S. Ioannis appellatur, sed eorum sententiam minus probo.

Abrotanũ mas. Sancti Iohannis herba] ADVERSARIA p.340. Abrotanum mas, Vulgus Picardorum & Francorum, herbam & lignum S. Ioannis vocitant, eoq; in coronamentis, & lumborum superstitioso cinctu, ad Epilepsiam morbum D. Ioannis putatum auerruncandum expetunt. Hinc Ruellio dubitandi ansa iudicij hallucinati, quam factiose illi

vt

vt solitus est, improperat ille Bambalio commentor Matthiolus.

LOBEL. obs. p. 443. Abrotanum mas. Gallobelgis nonnullis, Bres de S. Iehan.

S. Ioannis herba] ANGVILLARA epist. 14. aut Berbena, Berbenaca et herba di S. Giouāni. Verbenaca vulgaris.

IOAN. BAVHINVS. Hæc herba S. Ioannis, alia non est quàm Verbenaca vulgaris, quæ depicta apud Fuchsium pro Verbenaca recta, siue mare, & ab aliis multis, vt in Verbenaca dicetur.

S. Ioannis herba] est perforata. BRVNSCHVVEIG.

FVCHSIVS hist. cap. 322. Hypericum vocāt herbam D. Ioannis, Germ. S. Johans kraut. In Hispanica epitome, Yerua de S. Ioan. Hypericū.

ANGVILLARA epist. 13. dicit: Hypericum vocatur herba di San Gioanni.

IOAN. AGRICOLA in med. herb. Herba S. Ioannis, & fuga dæmonum vulgò.

EVCHARIVS p. 318. in herb. Ipericon herba S. Ioannis, Scopa regia, herba perforata, fuga dæmonum.

TOXITES in onom. phil. p. 229. S. Johans kraut/Hart hau/perforata, herba S. Ioannis.

RVFFIVS in Diosc. lib. 3. cap. 146. Hypericū: Germ. S. Johans kraut/officinis perforata.

LONICERVS lib. 5. hist. cap. 124. S. Johans kraut/Hypericum, perforata. Idem in Dio-

ſcorid.libro 4. capite 162. herba Diui Ioannis,&c.

TRAGVS lib.1.cap.23. Herba perforata, S. Johans kraut.

CORNARIVS in Dioſc.lib. 3. cap.154. Hypericum,noſtri Sanct Johans kraut dicunt, hoc eſt,herbam S.Iohannis.

CORDVS in Dioſc.lib.3. cap. 132. perforata: Germ. S.Johans kraut. (Hypericon.

VVIRSVNG. Sanct Johans kraut/

DODONAEVS hiſt.Lat.pemp.1.lib.3. cap. 24.p.76. Perforata,Hypericon: Germ.Sant Johans kraut: Anglis, S.Johans Worte: Bohemis, S.Jana Zwencok.Item hiſt.Gal.lib.1. cap. 42.In hiſtoria vitis,ſimiliter.

RVELLIVS libro 3.capite 74. Hypericon,herbam perforatam vulgus; item herbam Diui Iohannis.

PAND.Moreti ca.655.Scopa Regia,herba S.Ioannis,&c.Item ca.154.Herba S.Iohan. Hypericon; perforata, &c. Hortus ſan.cap 516.Hypericon,herba S.Ioannis.

HISTORIA gener.lib.10.cap.35.Hypericum: Germ.S.Johans kraut.

HARCHIVS in Ench.ſimp.p.144.Hypericū: Brab.Sint Jans cruyt. (graſſe.

LOBEL,obſ.p.216.Hypericum:Anglis Johns

ADVERSARIA p.172. ὑπερικὸν: German. Sanct Johans kraut : Belgis, Sanct Jans cruyt:

cruyt: *Angl.* S. Johns Worte.

AMATVS *Lusitanus in Diosc.libro 3.capite 168. officinis, Mille perforata:* German. Sant Johans kraut.

HERBARVM *imagines Egenolphi.Hypericon,* S. Johans kraut.

CRONEMBVRGIVS *de comp.medicam. li.8. de Oleo hyperconis, fol.115. herba S.Ioannis & perforata.*

IACOBVS *de Manliis in Luminari maiori in syrupo de ficub. fol.39. perforata. i.herba S.Ioannis, siue fuga dæmonum. quidam herbam Cordialem appellant.*

MATTHIOLVS *hist. Germ. lib.3. cap.114.* S. Johans kraut/*Hypericum.*

APOLLO *rad.1.in Mithridat. Democrit.p. 90. Hypericum, vulgò perforata, aliis herba Sancti Ioannis.*

BRVNFELSIVS *tom.3.Rhaps. 28. Hypericum,* S. Johans kraut.

GESNERVS *de col. stirp. fol. 62. Androsæmon seu perforata, vulgò D.Ioannis flos.*

REFORM. *Vuorm.sect.1.p.29.Hypericum, Ruta folis,* S. Johans Blumen.

VVINCLER *in chron.Iulij.* Sant Johans Blumen/*Hypericum aut Perforata.* Hypericũ hirsutum, siue Androsæmon.

S. Iohan. herba] FVCHSIVS. *Epitome Hispan. Androsæmon, è specie de Yerua de S. Iuan.*

Anacampse ex aliorum, Crassula maior.

Sancti Iohannis herba] TRAGVS *lib.1. cap.122.Scrophularia,* Wund kraut/Sant Johans kraut.

BRVNFELSIVS *in herb.tom.1. Rhaps.37. Scrophularia media*, Knaben kraut / Sanct Johans kraut.

REFOR. *Vuorm.sect.1.p.27.Crassula maior,* S. Johans kraut.

Iuglans.

S. Ioannis nuces] HISTORIA *generalis plantarũ per insignẽ typographũ Rouillium edita li.3. c.13.Tragus li.3.c.66.prodidit Vasoniæ iuglandem repertam esse,quæ ante diem D. Ioanni sacrũ, neq; folia,neq; nuces ostẽderet, &c. Eiusmodi iuglãdes Ioan. Bauhinus Medicus perdoctus & rei herbariæ peritißimus,circa Tigurũ etiã se vidisse affirmat. Dalechampius,nuces,quæ antea velut aridæ ac mortuæ,pridie D. Ioannis festum diem repertæ germinant,& folia mittunt, in agro Lugdunensi, perquam multas reperiri asserit,eas vulgus appellat Noix de la S.Iehan.*

IOAN.BAVHINVS.*Audio reperiri in Burgundia eiusmodi iuglandes.*

S.Ioannis panis] TOXITES *in onom.Philos.p.119.* Sanct Johans Brodt / *Ceratia,Panis Sancti Ioannis.*

Siliqua.

LONICERVS *lib.4.cap.71.* Sanct Johans Brodt/*Siliqua.*

RVFFIVS *in Dioscorid. libro 1. capite 130.*

Xylo-

Xylocerata: German. Sanct Johans Brodt.

LACVNA in Diosc. lib. 1. cap. 130. κεράτια: Germanicè, S. Hans Brodt. (Siliqua dulcis.

VVIRSVNG Sanct Johans Brodt.

DODONAEVS hist. Gal. lib. 6. cap. 64. κεράτιον: Germ. Sanct Johans Brodt / Belgis, Sint Jans Brodt.

RAVVVOLF in Itiner. p 1. pemp. 2. pag. 24. Sanct Johans Brodt: Græcè, Xylocerata.

CAMERARIVS in hist. Matth. Germ. lib. 1. cap. 73. S. Johans Brodt / κερατονία.

ADOLPHVS Occ. in ph. ξυλοκέρατα, Sant Johans Brodt.

HISTORIA generalis lib. 1. cap. 40. Arabib. Charimb. Germ. S. Joans Brodt.

LOBEL. obs p. 541 Siliqua: Germ. Sanct Johans Brodt.

AMATVS Lusitanus in Diosc. lib. 1. enar. 134. κεράτιον: Latinè, siliqua: Germ. Sanct Johannis Brodt.

IOAN. BAVHINVS. Apud Amatum annotatum per Robertum Constantinum, & impressum Lugduni apud Theobal. Paganū, malè pro siliqua hac ponitur figura Pipis, vt vocāt, Calcutici.

GESNERVS de hortis Germ. fol. 252. p. 2. Ceratonia, S. Johans Brodt.

CORDVS in Dioscorid. libro 1. cap 159. Offic. corrupto vocabulo Xylocaracta: Germ. Johaus

Brodt: *quoniam credunt D. Ioannem Baptistam hoc fructu loco panis in solitudine victitasse.*

PLACOTOMVS *in Eobani commēt.* κεράτια: *Germ.* Johans Brodt / *&* Bocks hörnichen.

CATALOGVS *Francof. p. 7. offic. Carubie* Johans Brodt.

HERBARVM *imagines Egenolphi, Carobæ.* S. Johans Brodt.

IOANNES BAVHINVS. *Figura mala in prædicto herbario.*

SCHVVENCKFELT *in Thes. pharm. lib. 1. p. 32. Siliqua, panis Diui Ioannis,* κεράτιαν, ἀῤῥόβια *Actuario.*

MATTHIOLVS *hist. Germ. lib. 1. c. 73.* S. Johans Brodt. *Arabib. Charumb.*

CORNARIVS *in Dioscoridem lib. 1. c. 127. Xylocaractæ officinis corrupta voce. Nostris vulgò panis S. Ioannis.*

REFORM. *Vuorm. sect. 4. p. 53. Siliqua, Panis Diui Ioannis.*

Iudaica arbor. Wild Sanct Johans Brodt / oder Judas Baum. *Siliqua syluestris.* CAMERARIVS *apud Matth. in hist. Germ. lib. 1. cap. 73.*

Armeniaca. Sancti Iohannis Persica] RVFFIVS *in Diosc. libro 1. capite 131. Aestate præcocia Persica: Germanis,* Sanct Johannes Pfersich: *Gallis, Abricot.*

LACVNA *in Dioscoridem libro 1. capite 131.*

Arme-

Armeniaca & præcocia; German. Sanct Johans Pfersich.

DODONAEVS *hist. Lat. pemp. 6. lib. 3. capite 7. Malum Armeniacum: Germ.* Melelen/S. Johans Pfersich.

HISTORIA *generalis lib. 3. cap. 4.* μῆλα ἀρμενιακά. *Germ.* S. Johans Pfersich.

LOBEL. *obs. p. 596. Armeniaca. Germ.* S. Johans Pfersich.

MATTHIOLVS *hist. Germ. lib. 1. cap. 82.* Marillen/S. Johans Pfersigen.

FRISCHLINVS *in nomencl. triling. c. 19.* μῆλον ἀρμενιακόν, Amarelln/ Sanct Johans Pfersich.

VVINCLER *in chronic. Aprili,* Pfersing/ *Aurea mala, Armeniaca, Chrysomela: German.* S. Johans Pfersing.

Sancti Iohannis Persica] AMATVS *Lusitanus lib. 1. enar. 147. Duracina Persica: Hispanicè, durasios, durazios. Gallicè, presses: Germanicè,* S. Johans Pfersich. *Duracinum sic dictum, quia difficulter ab ossibus auellitur, &c.* Persica mala.

IOAN. BAVHINVS. *Ego malim cum præcedentibus Sancti Iohannis Persica dicere esse Armeniaca.*

Sant Johans Oepffel / *Sancti Iohannis poma: German. Præcocia mala.* TRAGVS *libro 3. capite 44.* Poma.

HISTORIA gener.libro 3.capite 1. Mala mustea à celeritate maturescendi, quæ nunc Melimela dicuntur, à sapore melleo. Vulgò, Pomme de Sainct Iean.

Pyra. S.Ioannis pyra] *HISTORIA gener. li.3. cap. 7. Pyra Hordearia, vulgò, Poires de S. Iehan, quæ cum hordeo maturescunt.*

Diospyros. Sancti Iohannis Pyra] *GESNERVS de hortis fol. 257. Diospyros circa Riuarium lacum Pyra Sancti Ioannis vocant, Bernenses,* Flubiren / rc.

Ribes. Sancti Iohannis racemi] *LONICERVS libro 4.cap.65.* S. Johans treublin.

TRAGVS lib.3.capite 22.Ribes, Sanct Johans treubel.

TOXITES in onom.philos.p. 333. Sanct Johans treublen / *Botrus S.Ioannis: Gal. Raisins de S.Iehan, Vuæ D.Ioannis.*

DODONAEVS hist.Lat.pemp.6. lib.1.ca.9. Grossularia rubra: Germ. Sant Johans treubel / *siue* treublin / S. Johans Beerlin. *Idem hist.Gal.lib.6 cap.20.*

VVIRSVNG Sanct Johans treublin / S.Johans Beerlin.

HISTORIA generalis lib.2. cap.4. Gesnero Ceanothus læuis. German. S. Johans treublin / *aut* Beerlin.

LOBEL. obs. p. 651. Ribes Arabum, Germanicè

nicè Sanct Johans treubel/& treublin/S. Johans Beerlin.

CATALOGVS Francofor.p.65. Ribes, Johans treublin.

HERBARVM imagines Egenolphi p. 91. Ribes, Johans treublin.

CRONEMBVRGIVS de comp. med. lib. 2. p. 44. Ribes officinis, iam omnibus Arabum puto dogma sectantibus, notißimi sunt fructus, quorum nullam antiqui mentionem habuerunt. Serapioni tamen cap. simpl. 241. oculari fide monstrauit: Germ. S. Johans Beerlin.

IOAN. BAVHINVS. An hæc planta sit Ribes, dicetur suo loco.

MATTHIOLVS in hist. Germ. lib. 1. ca. 45. S. Johans treuble / Ribes vulgaris: Bohemicè Wyno S. Jana.

NICODEMVS Frischlinus in nomencl. triling. cap. 22. ἄλιμος. Halimus, Aureo sepimento vallari idoneus, S. Johans treublin.

GESNERVS de col. stirp. fol. 102. Ribes vulgo dictum, Acinos D. Ioannis vocamus.

Sancti Iohannis racemi] LONICERVS libro 4. capite 65. Wild Sanct Johannes treublin. Ribes nigra.

Sancti Iuliani Thymbra] HISTORIA gener. libro 8. capite 9. Thymbra verò Penæ. In Tyrrheni maris asperis & salebrosis Sancti Iuliani

Hetrusci, magno prouentu oritur, aspectu perquã elegãs herbula: Pisanis Vernaculo idiomate, Thymbra di Santo Iuliano dicta.

PLANTINVS *icon.p.425. Thymbra Sancti Iuliani, siue Saturtia vera, Aduersarijs 182. Teuton.510.*

Eupatorium adulterinum. Herba Sanctę Kunigundis, *officinis eupatorium.* TRAGVS *lib.1.cap.165.*

MATTHIOLVS *in hist. Germ. lib. 4. cap. 41. Eupatorium Auicennæ, seu vulgare herba Kunigundis,* Kunigund kraut.

TOXITES *in onom. philoso. p. 219.* S. Kunigundt kraut, *Eupatorium.*

IOAN. BAVHINVS. *Toxites hoc capite varias confundit plantas.*

FVCHSIVS *hist.cap.101. Eupatorium adulterinum, herba S. Kunigundis.*

SCHVVENCKFELT *in Thes. pharmac. lib.1.p.10. Eupatorium Auicennæ offic. Eupatorium Cannabinum, herba Kunigundis.*

IOANNES BAVHINVS. *Auicennæ Eupatorium non est hoc, vt dicetur sub Eupatorio suo loco.*

Ageratum. Sanctę Kunigundis herba] LONICERVS *lib.5.cap 277. Ageratum Dioscoridis, vulgò Eupatorium Mesues, herba Sanctæ Kunigundis,* Kunigund kraut.

AMATVS *in Dioscorid. lib. 4. enar. 61. Ageratum,*

ratum, Eupatorinm Mesue, Italicè herba guilia: Germ. Kunigund kraut/ *&* Wasser dost.

IOANNES BAVHINVS: Nomina hæc Germanica malè tribuuntur Agerato, cùm sint præcedentis plantæ.

Sancti Ladislai regis herba Vngaris, *quæ vulgò cruciata*] CLVSIVS *in Panno. libro 2. capite 34. p. 282. Item in nomencl. Pannonico, Gentiana vulgò cruciata dicta.* Zent Lazlo Kiraly *siue hoc est, S. Ladislai regis herba, &c.* Gentiana minor, quæ cruciata.

Sancti Laurentij herba] TOXITES *in onom. philos. p. 354.* Sanickel/ Sanct Lauren-tzen kraut. *Diapensia, herba Sancti Laurentij, Ferraria minor.* Sanicula, siue Diapensia.

Sancti Laurentij herba] Sanct Laurentz kraut/ Schwalm wurtz / *Vincetoxicum.* TOXITES *in onom. philos. p. 213.* Asclepias, siue Vincetoxicum.

Sancti Laurentij herba] CLVSIVS *in Hisp. hist. libro 2. capite 86. Astragali tertia species, Onobrichis Placæ: Lusitanis, Herua de Santo Lorenzo.* An Astragalus Monspeliano candidior.

IOAN. BAVHINVS, de hac herba sub Astragalo.

Sancti Laurentij herba] ANGVILLARA *epist. 13 Artetica pandectarij, herba Laurentiana, aut Lorenza; quam posuit Fuchsius pro consolida media.* Consolida media.

CAESALPINVS *de pl. lib. 11. cap. 36. Al-*

terum est genus Chamæcissi, vulgò appellant Laurentianam: alij herbam S. Laurentij, alij consolidam mediam. Plinius hanc intellexit, cùm dixit, Chamæcissus spicata est, &c. Alibi, Hederam, inquit, esse non attollentem se à terra, &c.

Petasites. S.Virginis chlamys, nomen illi Tussilaginis generi, magnis foliis, quod vulgò petasites existimatur, commune est. CLVSIVS de pl.Hisp. libro 2. capite 19.

Narcissus, medio purpureus. S. Virginis lilia] GESNERVS de hortis Germ. p.247. Anemone limonia Theophrasti, Narcissis vulgò dictis cognatus videtur, ea nimirũ aut similis, quam nostri Lilia D.Virginis vocant, Vnser Frawen Gilgen. Item p. 268. Narcissus Italicus

Kentma-

Kentmano puto esse, quod à nostris Lilium D. Virginis vocatur.

S. Virginis linum] CLVSIVS *in Panno. li.2.cap.37.p.310. Vulgaris Linaria hic copiose nascitur, &* Vnser Frawen Hor *mulierculis Rhizotomis dicitur: Vngaris, Vadlen, id est,* D. *Virginis Linum, & syluestre Linum.* Linaria.

S. Virginis mentha] CLVSIVS *in Nomenclat. Pannonico Mentha Græca, Costus hortensis, vulgò Bodog Azzony mentaya, hoc est, beatæ Virginis mentha.* Mētha Saracenica.

FINIS.



CONRADI GESNERI PHILOSOPHI ET MEDICI CL. EPISTOLAE

A`

CASPARO BAVHINO Anatomico & Botanico Professore ordinario

NVNC PRIMVM editæ.

AD

CLARISSIMVM ET EXCELLENTISS. Asclepiadam.

IOACHIMVM CAMERARIUM filium,

ILLVSTRISS. Reipub. Norinberg. Philosophum, & Medicum præstantissimum.



VM IOANNES BAVHINVS, Ill. Principis Vuirtenbergici Medicus ordinarius, frater mihi chariss. specimē quoddam immēsi sui & laboriosissimi operis (propediem prodituri) quod multis annis summo & labore & studio excoluit, prodire vellet, cui obiter quędá etiá inter plegendū aspersimus; visum fuit CLARISS. VIR, à proposito minimè alienū, si huic opusculo, aliâs paruo, Epistolas aliquot Clar. viri Conr. GESNERI, hactenus nō editas, subiūgerem⁹. Ad hoc plures mouerūt ratiōes; partim, quòd hæ viderētur à proposito minimè alienæ, cū in ijs multa ad materiā Medicam faciētia habeantur, de quib. ad Fratrē meum familiariter scripsit, tanquá ad eū, qui per aliquot annos Cl. GESNERO Tiguri conuixit & quo etiá anno 1561. in peregrinatione Rhætica simplicium indagandorū gratia, socio vsus est: à quo etiá GESNERVS multas & plantas viuas earūdem formas aliquot, plurimasq; descriptiones accepit, vt non tam ex Epistolis iam prius editis, quá ex aliis eiusdē GESNERI operib. vt libro de Fossilib. videre est: maximè verò ex his à nobis additis Epistolis colligere est. Accedit & altera huius editionis ratio, quòd tāti Viri literas maximoperè expeti & desiderari animaduerterimus. Quare Epistolas has à Fratre amātiss. acceptas voluimus eo modo & forma, qua scriptæ fuerunt, prodire: spe freti bona, futurum vt tanti Viri Epistolæ, quæ

adhuc apud alios latitant, aliquando etiam lucem aſpiciant.

Quod verò Epiſtolas has VIR CLARISS. ſub tuo nomine prodire voluerim⁹, cauſæ plures fuerũt. primò quidem ſingularis tua erga me humanitas (quã ſartã tectã cupio) quã ex literis hactenus ad me datis, facilè eſt colligere: dein quod T.E.Cl. GESNERI opa BOTANICA omnia penes ſe habeat, quæ vt ꝑpediẽ nobis cõmunicẽtur, multi vnà nobiſcũ ſummopere exoptãt: ad quod perficiẽdum, ſingularis illa T.E. in Re HERBARIA cognitio & induſtria q̃ ex hactenus editis lucubrationib. eluceſcit, facilè ſtimulum addet: tũ etiã quòd CAMERARII in opuſculo de Plantis pręfixo, ſæpiùs facta ſit mẽtio: deniq; vt hac ratione inter T.E. fratrẽq; meum (quod vnicè exoptat) intercedat notitia, cũ vtrũq;, idem ſtudiũ Botanicũ coniungat: in quo ſanè ſtudio excolendo & ego (licet hactenus in Anatomicis occupatus) oẽs neruos intendi & intendam, quod breui DEO auxiliãte & Practicis concedẽtib. peregrinationib. teſtatũ faciam. Hoc ergo, ASCLEPIADA GRATIOSISS. meum in te ſtudiũ æqui boniq; vt cõſulas, meq; vt hacten⁹ amare pergas, & à me ſtudium & officium expectes rogo. Vale & ſalue cum tuis quàm diutiſſ. & fœliciſſ. BASILEAE RAVRACORVM. Anno Epochæ humanæ cIↄ Iↄ xcI. Pr.Id.Feb.

EPISTOLAE VIRI CLARISSIMI CONRADI GESNERI.

Erudito & singularis spei Iuueni IOANNI BAVHINO, Clarissimi Medici D. BAVHINI F. Basileæ. S.

BINAS literas tuas accepi mi Bauhine gratissimas, quoniam et incolumẽ ex his te cognoui: & missis reb. q̃busdã rariorib. oblectatus sum. Lapilli illi, quos Petasitas à D. Platero vocari scribis, meo q̃dẽ iudicio rectius Ctenitæ vocabũtur. Nã et forma Ctenis seu Ctenij, .i. pectinis seu pectũculi marini cõuenit. Et eadẽ ratione lapis Myites & Conchites legitur à similitudine cõcharũ & μυῶν *.i. Musculorũ in eodem genere. Sed alter ex tuis tantũ Ctenites est: alter cõmuniore nomine Conchites appellari põt. Petasiten ꝓ lapide nusquã legi: nec petasi figura satis conuenit. Ctenitæ meminit Agricola. Ego iam prius duorum generũ habebam Ctenitas: vnũ lapideum, alterum metallicũ, ferrei tum coloris ferè, tum põderis. Metallũ illud* auß dẽ Läbertal/ *Antimoniũ vel Antimonij species videtur: colore, pondere, & substantiæ laxitate. Chamæmelum nobile, acetosũ, absinthiũ tuũ supinũ: & herbã mihi ignotã fortè aliqua species Tetrahit est: vel sideritidis primæ quorundam. Coma cærulea quã aridam misisti, expecto vt mit-*

tas in vasculo cum pauca terra, vt plantare poßim, cùm nũcius dabitur oportunus, q diligenter curet. Heri apud nos fuit D. Zuuinggerus, p illum mitti poterãt. Sat citò, si sat bene, et tutò mittes. Colliges mihi & semina. Huius cũ coma cærulea picturam quoq; suis colorib. expressam, vellem te mihi fieri curare nunc cũ floret. Glaucij semina apud D. Zuuinggerum mihi legas. Tarchon serratũ ego etiã in horto habeo, in pratis quibusdam luxuriantem plantam: cuius folium hîc mitto. ab eo si differt quod D. Cælius in horto habet: ramulum mitte. Domino parẽti plurimã salutem ex me dices: ex eo cognoscere velim, qua tẽperatura sint Plumbariæ thermæ, & quib. mineris constent: vt causas intelligam, cur præferendæ sint nostris in curatione vlcerũ tibiarũ & spasmi. Vxor mea miserrimè cruciatur, non q-dem ex vlcere, sed quotidianis ferè spasmi paroxysmis, ex affectu qualem vidisti. Nostræ thermæ sulphure maximè constant, deinde alumine pauco, cũ paucißimo sale. Animus mihi est de thermis Heluetiorum & Germanorum scribere libellum: & rogo D. Patrem, si quid de aliquorum fontium medicamentorum mixturis aut viribus explorauit, vt breuiter mihi conscribat: aut tibi dictet. Nondum potui ad Rhætos proficisci propter vxoris valetudinem, quæ me remoratur. Vale. Tiguri raptim 1560. Iunij die 24.

CONR. GESNERVS.

IOHANNI

IOHANNI BAVHINO rei medicæ candidato, amico charissimo: BASILEAE,

S.

ACCEPI binas literas tuas cum herbis, pro quibus maximas tibi gratias ago, & simul D. parenti tuo, pro sua de thermis plumbarijs sententia. Ego iam Ischiade grauiter laboro toto crure dextro, in primis in musculis sub genu, & noctes iam aliquot ferè insomnes ago. Quòd si D. pater tuus aliquo explorato sibi remedio consulere mihi potuerit, gratißimum erit: si primo quoque tempore id perscribas. Libri mei, qui animalium icones cum nomenclaturis continent, omnes iam absoluti sunt: sed Typographus non ante nundinas cuiquam eos permittit. Vale. Tiguri 14. Iulij. 1560.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo & doctissimo iuueni IOHANNI BAVHINO Domini BAVHINI Medici filio: suo charissimo. BASILEAE, vel TVBINGAE,

S.

ISCHIADE quum tres septimanas grauiter laborassem, ad thermas nostras descendi: nunc Dei gratia melius habeo: nondum tamen pristinæ sanitati sum restitutus. Mitto commendatitias literas ad D. Fuchsium, sicut petijsti. Aliud hoc

tempore nihil habeo, nisi vt viam prosperrimam tibi optem. Salutabis Tubingæ D. D. Scheccium & M. Constantinum Medicinæ studiosum, ad illum breui scribam. Huius ad nos aduentum expecto. Saluum cupio D. patrem tuum. Vale. Badæ 1560. Augusti die 21.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo iuueni IOHAN. BAVHINO F. rei medicæ candidato: TVBINGAE apud D. FVCHSIVM, S.

PRo literis, quibus patris consilium ad Ischiadem mihi perscripsisti, maximas tibi gratias habeo, mi Bauhine: & pro vltimis tuis, quibus sententias de plantis aliquot D. Fuchsii mihi recitas, quas diligentius per otium perpendam. Meas quidem super stirpium nominibus, quæ tibi communicaui, sententias, si intellexissem Tubingam te profecturum, non ita temerè tibi communicassem. neq; enim omnia pro ratis habeo: & si in publicum ederem, quædam fortè aliter nominarem, &c. Quædam pro ratis habeo, sed ea non omnibus antequam ipse scribam, innotescere voluissem, ne ego meo defrauder honore. Sunt autem plurimi ita ambitiosi & ingrati, vt sibi vendicent quod aliis debebatur. Tragum (herbam) verum & Holosteum his diebus reperi, & Succinum Indicum, &c. in quibus publicādis, quoniam

niam & sumptu & labore aliquo mihi constant: nolim mea inuenta vsurpari ab alijs. Torae flores, quos petis, prae ariditate deciderunt. Peto à te semina herbae illius circa Tubingam vulgaris, quam Fuchsius aliquando Absinthij speciem fecit: postea Nasturtium syluestre nominauit. Velim & Petro Buttino nostro, si ad vos venerit, graminis Fuchsii pauculas plantas recentes dari. Quod de libris nouis Medicis ad me scripsisti, gratissimum fuit. Fernelij practicam Lutetiae nunc tandem excudi affirmant. Vale. Tiguri 21. Octobr. 1560.

T. CONR. GESNERVS.

Egregio & erudito iuueni IOHAN. BAVHINO F. Philiatro, amico singulari suo: BASILEAE,

S.

PRo seminibus raris & hepsemate è Persicis sanè suaui, gratias tibi habeo, mi Bauhine. Tragon herbam Dioscoridis, eandem Holosteo Plinij iudico: semen non habeo, sed stirpem solum aridam primò è Vallesia ad me missam. reperitur enim illic in muris & macerijs: & si haberemus semen, vix prouenire posse putârim. Habeo & alteram plantam è maritimis locis, in quibus frequenter nascitur, Lugdunum ad amicum missam, à quo ego accepi, cum alijs multis: verùm is omnia, quae mittit, repetit. Fuchsio, &c. Et quanquã ego semper in meis

omnibus candidus, liberalis, & κοινωνικὸς fui, neminem celaui quicquam. Te quidem & amare me, & communicare velle omnia, persuasissimus esse debes. Pro Fuchsii circa quasdam stirpes sententiis gratias tibi habeo, &c. Post vnum alterúmve mensem, cùm semina mea disquiram, mittam ad te quoque rariora quædam: etsi pauca habeam, propter æstatem superiorem nimis frigidam & humidam. Saluta officiosè D. parentem. Vale. Tiguri 1561. Ianuarij die 7.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo iuueni D. IOH. BAVHINO F. excellentiss. viri Doctoris Medici BAVHINI. BASILEAE, S.

CVM penultima epistola tua misisti ad me Macerone vulgo dicti Italis semen. Est autem id nomen à Macedonico corruptum: nam Officinæ vulgò Petroselinum Macedonicum vocant: à quo tamen longè abest. Silphium quidem non esse, cùm aliunde, tum ex semine (quod Silphio latum, & velut foliaceum tribuunt) coniecerim. Carpenduum pomum promittis: quod mihi gratum erit. Vellem tres aut quatuor surculos insitioni aptos à te mitti: & pomum vnum, si habes, vt inde coniiciam, an nostri etiam habeant, & quo nomine. Cum vltima heri accepi tres species Scolymi, & Fœniculum dulce.

Pro

Pro quibus omnibus maximas tibi gratias habeo. Spero me hac æstate ex ijs, quæ seui, & aliunde, non pauca collecturum semina: de quibus tibi (Deo volente) vicißim communicabo. Gratus erit aduentus ad nos tuus. DEVS Opt. Max. parẽtem tibi restituat incolumem, & diutißimè conseruet. Scolymi species, si potes, mihi distingue verbis: ego spinosum tantùm & læuem (folijs scilicet) vidisse hactenus memini. Quænam est, aut qualis stirps illa pulchra, quam Argentinæ apud D.D. Sebaldum vidisti? Misit ipse nuper ad me quandam picturam herbæ, quæ mihi certè ficta videtur. Parcus excudit libellum quendam de vocibus animalium. Leonis Baptistæ Alberti libellus etiam de equo excusus est Basileæ 1556. Io. Placotomi Pharmacopœia Antuerpiæ: & Iodoci Lomnij Medicinales obseruationes ibidem. & Nic. Biesii Theoreticæ medicinæ libri 6. Quæ omnia cupio à M. Petro Mechliniensi ad me mitti, indicatis singulorum precijs. Ab eodem require, nunquid aliquid pecuniæ pro antea mißis ei debeam: aut si quid Froschoueri rationibus adscripsit, quantum sit illud. Præterea mitti desidero Thomæ Naogeorgij Pammachium & Mercatorem Tragœdias: nisi illas ad M. Michaëlem nostrum mittat. Literas tuis adiunctas, cumprimùm poteris, Argentinam mittas rogo. Vale. Tiguri 1561. Aprilis die vigesimo.

T. CONR. GESNERVS.

Doctiſsimo iuueni IOHANNI BAVHINO Medicinæ candidato, Germano, Monſpeſſuli apud Dominum D. RONDELETIVM, S.

QVOD literis tuis iam diu non reſpondeo, chariſsime Bauhine, condonabis occupationibus meis. Quam Cerinthes nomine miſiſti Iulio menſe, floribus luteis, canis, &c. Itali quidam eruditi ſic appellant, nec mihi diſplicent. Conuenit ei deſcriptio Plinij. Diuerſus ad hoc videtur Cerinthus Theophraſti in Liliorum genere. Cucurbita illa recta, quam in Sicilia Turcicam cognominari ſcribis, à D. patre tuo miſſa, plurimùm me oblectauit; antehac enim non videram: ſed neque mentionem eius vllus puto ſcriptorum fecit. Cum eadem pater miſit etiam Colocynthidis ſpeciem maiorẽ. Deſcriptionis tuæ, qua Cerinthen & Cucurbitam illam deſcripſiſti, ſatis bonæ accurateq́ſunt. quòd ſi ſimiliter etiam alias quaſdam rariores ſtirpes mihi deſcripſeris, gaudebo. Electuarium Hælidei & antidotum aduerſus venena (quam D. Fabricius in domo ſua relictam remiſit) differo ad reditũ tuum. Metuo enim ne tam longinquo itinere literæ intercidant. Hæc ad literas tuas datas Baſileæ Iulij die 21. Accepi & alias tuas poſtea, ad quas iam prius, ni fallor, reſpondi, literis ad D. Dalechampium miſsis Lugdunum. Virent mihi nunc in horto Ornithogalum, quod tota æſtate

latuit:

latuit: & Arisari species duæ, quæ & ipsæ latuerãt. Monspelij an sis, & apud quem, & quomodo valeas, scire percupio. Varices vxorem meam affligere pergunt, inquire quæso à D. Rondeletio præcipuè, & vlla ex Chirurgia spes esse poßit, & sectionem num consultum sit tentare, & qualem, an cauterium aliquod, &c. Semina aliqua rariuscula spero te nobis colligere, &c. D. Rondeletio plurimam salutem precor. item D. Hieron. Martio Augustano, rei medicæ studioso, si adhuc illic est: sin minus, scire velim quando, & quò discesserit. Iam obsignaturus has literas incidi in illas, quas Augusti 8. Geneua ad me scripsisti, quibus cũ misisti herbam spinosam, quam à D. Constantino Acanum Theophrasti vocari scribis. Sed cùm Theophrastus lib. 6. cap. 1. folia aculeata tribuat Acano: is esse non potest. Acanacea quidem dicuntur ab eodem, quorum calix, seu pericarpium spinosum est: nimirum vt in Acano. Itaq; herba illa fuerit quidem acanacea: non autem ipse acanus. Cordus quoque non rectè Polyacanthon hanc herbam vocauit, cùm Theophrasti Polyacanthos & folium & calycem spinosum habeat. Dodonæus Carduum stellatum vocauit, &c. Cognatus ei videtur, qui Monspelij Spina solstitialis dicitur: cuius, sicuti & Spinæ citrinæ, & illius cuius semine lac coagulatur, (quod vulgò venditur) semina si mihi parauerís, rem feceris gratißimam. Herba illa, quam pro Elleboro nigro Paterniaci tibi D. Textor ostendit,

Pulmonaria, ni fallor, vulgò vocatur, (quanquam & aliæ plures hoc nomine sunt) radice squamatim compacta: alij inter saxifragas numerant, nihil ad Elleborum. Salutat te vxor mea. Vale. Tiguri 1561. Octobr. die 24.

T. T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo iuueni IOHANNI BAVHINO, medicinæ candidato, amico singularissimo suo: MONSPESSVLI apud D. RONDELETIVM, S.

LITERAE tuæ Monspelij datæ, Septembris die 21. redditæ mihi sunt Nouembr. die 9. eodemq́; statim rescripsi per D. Castalionem, qui nos visitatum venerat. literis ad D. parentem tuum missis, nuper etiam Lugdunum ad Dominũ Dalechampium literas tibi transmittendas dedi: quas spero te accepisse. Tuas omnes accepi, respondiq́;. Domini Toxitæ nomine non memini profectò quicquam me scripsisse ad quenquam, neq; resciui hactenus illum statuisse Monspelium adire: scripserat enim dudum, in Italiam se profecturũ. Quod de plantis quibusdam multa habes ad me scribenda: idq́; breui te facturum polliceris, gaudeo. Sicuti etiam quod omnis generis plantas & aquatilia animantia colligis, id quod vt omni studio facere pergas, te adhortor, & rogo. habebis enim quod olim te oblectet domi hæc recolentem,

lentem & demonstrantem amicis: ex quibus me quoq; futurum aliquãdo illorum, quæ congeris, spectatorem spero. Rariuscula quædam in animalium & stirpium genere quæcunque talia tibi videbuntur, (nominatim enim dicere non possum, vt nunc etiam occupatissimus hæc scribo) gemina saltem te reponere velim, vt mihi quoque partem olim communices: pro quibus non ingratum me tibi declarabo, & sumptum quemcunque eo nomine feceris, libenter ac promptè restituam. Curauimus his diebus Hæmoptyicam D. Iulij Itali vxorem fœliciter, Dei gratia. Medicamento cuidã ἐκλεικτῷ addidimus Hyoscyami semina, sed nostri communis: album enim non habemus. De varicibus in vxore mea inueteratis, & vlcere varicoso per occasionem à D. Rondeletio quære; eius enim consilium expeto. Non habeo quod ad eum mittam; nihil enim librorum ad nos aliunde adfertur. Scis me edidisse Cordi opera, in quibus fortè esset quod ipsum oblectaret; sed profectò habere nondum potui ex Argentina, vbi cusa sunt. Lugdunum quidem iamdudum aduecta non dubito. De libris nouis, quos D. Rondeletius & alij edunt, aut parant, diligenter ad me scribere te velim. Me nunc occupant Prolegomena, quæ conscribo in Galeni opera Basileæ edenda. Inter alia semina, memineris seminum de Spinis, seu Carduis quibusdam. Citrinam vnam puto cognominant, alteram Solstitialem, &c. Nitrum verum ad fontem quen-

quendam non procul Monſpelio inueniri audiui: cura vt habeam. De Oxymelite noſtro elaborato quid ſentiat D. Rondeletius, cui id communicabis, & vt ab eo emendetur rogabis, ſcribe. Equidem pergo eo quàm feliciſſimè vti. Tres quartanarios hoc menſe (non enim plures acceſſerunt) alios aliis vſitatis mihi remedijs breuiſſimo tempore reſtitui, θεῷ χάρις. Vale. Tiguri 1561. Nouembr. die 9.

T. T. CONR. GESNERVS.

Doctiſsimo viro D. IOHANNI BAVHINO iuniori, Doctori Medico, amico ſingulari ſuo: BASILEAE, S.

GRATVLOR *incolumi tuo reditui, mi D. Bauhine, de quo certior factus ſum his diebus ex literis D. Benedicti Aretij Berna: qui etiā ſignificauit, te Baſilea Tigurum ad me breui profecturū: quod ſi contingat, longè gratiſſimum fuerit: nec te (vt ſpero) pœnitebit eius itineris. Quoniam verò craſtino die (qui eſt Auguſti duodecimus) Badam deſcendere cogito: id tibi ſignificare volui: manebo autem illic (ſpero) ad dies octo: quòd ſi inter ea te contingat huc aſcendere, illic de me quæras primùm in atrio poſteriore,* im hindern Hoff, *vbi etiam D. Ioh. Huberum nunc lauare audio. Scripſit ad me nuper parens tuus, & petijt vt ſignificarem, vtrū profitendi Heidelbergæ (de quibus aliàs tuo nomine ad eum*

eum scripseram) adhuc vacuæ sint. de quo nihil habeo certi. puto tamen iam illis esse prospectum, quòd moram longiorem ferre non posset. Vale cum parentibus & amicis. Saluta D. Castalionem. Tiguri 1562.

T. CONR. GESNERVS.

Doctissimo viro D. IOHANNI BAVHINO iuniori, Doctori Medico: BASILEAE, S.

POSTQVAM *Aretius Berna de tuo aduentu me certiorem fecit, bis ad te scripsi, semel Tiguro, semel Bada è thermis: sed posteriores prius tibi redditas puto. Tuæ serò mihi redditæ sunt. Badæ septem solùm diebus hæsi; nunc Tiguri maneo, & manebo donec venias, si modò tibi commodum erit breui venire: sin minus, significa. Quæ mittenda ad me habes, commodè nunc Zurzachium mittes ad nundinas, & illic tradi iubebis vni ex patruelibus meis, nempe Iohanni Gesnero, aut Henrico Gesnero, mercatoribus. Si huc venies, pete quæso à Petro Mechlin. vt det tibi rationes scriptas, quibus ei obligor: sin minus, mitte. Val. Cordi opera cum nostris Germaniæ hortis, si huc veneris, dono à me accipies, & aliud quippiam fortè. Sin minus, significa vt tibi seruem, si nondum habes. vnicum enim mihi superest exemplar. Plura nunc non vacat. Libellum*

enim ad prælum scribo, quem hodie absoluam. Vale. Tiguri 24. Augusti. 1562.

T. CONR. GESNERVS.

Doctissimo viro D. IOHANNI BAVHINO F. Doctori Medico, amico charissimo suo. BASILEAE: citò, citò,

S.

HERI Tiguro discedens vxori meæ literas ad te mittendas reliqui, quibus moneo, si me inuisere velis (quod vt facias opto) vt per Badam nostram transeas: illic enim nunc sum in atrio posteriori, vt vocant, im hindern Hoff: vt thermas bibam, ad dies fortè 7. hic hæsurus. Optarim te huc venire, id est, Badæ hic esse, si non incommodum rebus tuis fuerit, quinto, vel ad summum sexto hinc die, qui erit Augusti 18. vel 19. vt simul ascenderemus Tigurum, & in via confabularemur. Propter te enim pedes irem, aliter equum conducturus. Sin minus, quandocunque libuerit, & commodum fuerit, ad me venias. Dabo tibi fortè consilium de Lexico medico conscribendo, vt simul te exerceas horis succeßiuis, simul & alijs prosis. Typographum, qui tam vendibile futurum opus cum gratitudine susciperet, inuentum iri facilè sperarim. Conditionibus profitendi Physica & Mathematica Heydelbergæ, iam prospectum est, ni fallor. Hæc festinatò scribere volui, quia priores literas meas tardius fortè tibi reddendas

reddendas timerem. Vale, & saluta D. parentem. Badæ Augusti die 13. 1562.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo viro D. IOHANNI BAVHINO, Doctori Medico pereruditio, BASILEAE, S.

ACCEPI *literas tuas postridie quàm scripsisti, charissime D. Bauhine: cœruleum quod te remittere scribis, nō recepi. Thermis nostris te vsum, ita vt scribis, libenter cognoui. Quòd operam tuam tam benignè mihi offers, gratiam habeo. Occupat me hoc tempore vindemia, & valetudo. Nam à discessu tuo catharrus & coryza me infestârunt. Brugæ oppidum paruum est, & in thermis iam paucos lauare puto. ac breui nullos illic futuros, propter hyemem, & nullum fortè lucrum sis facturus. Poteris tamen ea de re cum D. Clausero (quem meo nomine salutabis officiosè) deliberare. Et si illic hærere non placuerit, experiri Arouiæ, quod maius est oppidum, & Pharmacopolam habet, Medico caret. Vbicunque eris, me admoneas, & petas quibuscunque opus habueris, quæ ego præstare queam. Quod si nullo cum fructu in locis illis manere possis, redeas ad me quandocunque volueris (semper enim domus mea tibi patet) vt saltem nunquid iuuare me queas experiamur, &c. Vale, & catalogum stirpium Mon-*

ſpelienſium perfice. Tiguri vltimo Septembr. 1562.

T. CONR. GESNERVS.

Pro CONR. GESNERO BADAE, BASILEAE, S.

DOMINVM D. Parentem tuum, Cælium, Caſtalionem, Zuingerum, Huberum Medicos, &c. ſalutabis ex me officioſè. Herbas ſiccas tuas in Gallia collectas mittes cumprimùm perfeceris catalogum: remittam breui ſimul vtraque. Cupio autem te citò perficere. Aedi forſan poſſet cum Epiſtolis Guilandini, &c. ſi D. Epiſcopius, aut alius quiſpiam imprimendas ſuſciperet. Si liber fortè nimis paruus futurus eſſet, adderem & ego de meis aliquid. D. Epiſcopium ſaluta: & indica de Euporiſtis Dioſcoridis apud me viſis, de quibus nuper ad eum ſcripſi. Si ipſi diſplicerent, poterit cum alio quopiam agere de imprimendis illis, vt D. Oporino, vel alio, qui bonum Correctorem haberet, & Græcum etiam exemplar reciperet. Badæ ſaluta Chirurgum & Tonſorem M. Bartolomæum Wanger, cum Guilielmo filio Pharmacopola: cui dices noſtrum Pharmacopolam Clauſerũ ſe excuſare, quòd nõ poßit eum recipere hoc tempore: nihil enim ferè agendum eſſe in officina. Is poterit tecum in montem Lãger aſcendere, &c.

Excellenti

Excellenti doctrina & virtute D. IOHANNI BAVHINO F. amico suo charissimo: BASILEAE,

S.

ACCEPI scriptũ à te pro bona illa muliercula consilium, quod ei fideliter communicabo: & si admittere volet, per Chirurgum Muraltum pili ciliorum superflui ei inurantur. Circa Lexici Medici ordinem probè quidem consulit D. Constantinus, estq́ʒ is vt eruditior, ita doctis omnibus gratior futurus: indoctioribus verò seruiẽt Indices. Sed hac de re deliberabis amplius. Meo consilio in Hippocratis opera talem indicem aphoristicum Ioh. Culmannus Medicus confecerat, sed Frobenijs displicuit, & totum in vnum Alphabetum redigi voluerunt. pleriqʒ enim Typographi populo, & indoctioribus, quorum maior est numerus, propter suum lucrũ, se accommodant. Catalogum stirpium Monspeliensium perfice, & mitte, aut excudendum apud nos cura. Literæ tuæ Octobris 20. scriptæ, hodie, qui 6. est Nouembris, mihi redditæ sunt. Epidemius ille capitis dolor omnes ferè regiones circunquaſqʒ inuasit, ita vt Fabritius scribat, ne altissimos quidem in Rhætijs Alpium recessus immunes fuisse. Mitto tibi quæ Doctor Fuchsius tradidit: is se nuper etiam ad te literas dedisse ait. Video me vix ante tempus vernum expediri posse, vt stirpium historiæ scribendæ ad edititionem incumbam. Interea tamen

quæ reliqua sunt, colligam, digeram, & occupationes cæteras dissoluam spero. Vale. Saluta D. parentem. Tiguri 1562. Nouembr. 5.

T. CONR. GESNERVS.

Doctissimo viro D. IOHANNI BAVHINO Doctori Medico excellenti, amico candidiss. suo: PADVAE, S.

NVDIVS TERTIVS tuas accepi, charissime D. Bauhine, vltimas Basileæ datas. In Italiam te profectum gaudeo: non dubito enim quin multa sis visurus & cogniturus præclara. Deus Opt. Max. te nobis incolumem breui restituat. Vtinam in reditu cōmodo modo fiat, vt hac transeas. Doctissimo D. Guilandino te commendo. Bononiam si veneris, quò te venire velim, vel propter D. Vlyssem Aldronardum (quo nemo diligentior, nemo copiosior in totius naturæ rerum variarum possessione viuit) ipsum meo nomine perofficiosè salutabis. Scio ipsū & propter te (quæ tua est virtus, & doctrina) & meam in gratiam libenter suos thesauros, quibus vel Crœso ditior est, tibi explicaturum, cùm aliàs, tum vt tuum quoque iudicium de rebus diuersis cognoscat, nuper ad eum literas dedi, nunc non vacabat. tertiò iam scripsi, ex quo ne vnas quidem ab eo accepi: sed non idcircò desistam. Hæc breuissimè ad te scribere volui, literis Curiam ad D. Fabricium missis:

mißis: is enim frequentiores Patauium nuncios, q̃ nos hîc reperire potest. Tu si quid rescripturus es, quod cupio, nec tabellarios commodiores inueneris, Veronam ad D. Dominicum Monthisaurum, Medicum excellentißimum mittito: aut potius Paduæ tradito D. Iohãni Baptistæ Mundellæ, medicinæ studioso. D. D. Aloisii Mundellæ excellentißimi Medici Brixiensis nepoti, vt is ad patruum mittat, à quo facilè accipiam. Eodem meo nomine officiosè salutato: dices me cupere, vt tandem aliquando me compotem faciat rerum illarum, de quibus aliquoties spem mihi fecit, tum ipse, tum patruus, &c. In Gallia perturbata magis magisq́; sunt omnia. Guisiani Rhotomagum occupârunt, sed victoria tam cruenta (in qua & Rex Nauarræ & alij Principes desiderati sunt) vt nõ occupasse præstaret. Herba illa, quã siccam abs te accepi (Marsilia allatam aiebas) floribus Libanotidis, candidis, ni fallor (de colore enim dubito in sicca, sicuti de odore etiam nunquam habeat recens) hodie mihi depicta & considerata diligentius, Chamepitÿ cognata foliorum & florum forma, saporeq́; adeò mihi videtur, vt Chamepityn lignosam appellari nõ dubitem. Herbæ Moræ, cuius Matthiolus meminit, specimen mihi acquire à D. Guilandino, aut D. Aldronando, considerari à nobis velim, an Alypon esse poßit. A discessu tuo multa pulchra & rara nactus sum ex Polonia & aliunde, & medendo quædam rara fœliciter expertus, vt ace-

tum destillatum, cum paucis Ellebori albi radicibus, &c. Cura vt videas diligenter non publicum modò hortum Pataui, sed etiam ciuium nobiliores, præsertim Domini Cortusii, cui me plurimùm commendabis. & Mag. D. Laurentium Prinli, apud quem agit doctissimus iuuenis Germanus Dominus Petrus Brogelius, cui herclè scripsissem, si vel paululum otij fuisset: plurimùm illi debeo, & cupio per occasionem esse gratus. Et huic igitur & Domini Camerarij filio, quem breui hâc transiturum magno cum desiderio expecto, mille salutes ex me dicito. In Catalogo Prinlani horti nomina quædam incognita mihi reperio, hæc Beccara (si rectè lego) & Quercella: de his inquire, & insuper quale sit Verbascum di Rosa cognominatum, Santolina herba, Phuco, & Chamæleon vterque, Aspalathus: harum quæso & aliarum rariorũ specimina quædam, & semina nobis colligas. Vtinam Catalogum conficias rariorum stirpium illarum, quas ante hac non visas, nec descriptas tibi in Italia inueneris, vt addas Catalogo tuo Gallicarum stirpium. Sic enim plausibilior exibit liber. Sentio me tibi obstrictum pro Catalogo Gallico, & amplius debebo, si hunc quoque addideris, quoad eius horis successiuis licet.

Vale etiam fœlicissimè. Tiguri 1562. Anno, Decembris die quinto.

T. CONR. GESNERVS.

Claris-

Clarissimo ornatissimoque viro Domino Doctori CONRADO GESNERO, Philosopho & Medico excellentissimo, Professori eximio: TIGVRI, S.

CLARISSIME Domine, licèt non sit mihi commoditas magna scribendi, cùm laborem morbo Epidemio, qui est grauitas capitis cum dolore & desfluxionibus magnis, quibus correpti ferè sumus omnes (vocāt hunc morbum Galli Coqueluche:) nihilominus tamen volui tibi scribere propter mulierē vestratē, cui id promisi cùm essem Badæ, nominis eius nō memini. Ea laborat morbo mihi inaudito, & multis Medicis, quib. descripsi. Eiusmodi autem est: Duos ordines ciliorum habet in superiori palpebra vnius oculi, quorum primus naturalis est, secundus præter naturā, lædens plurimùm oculum pungendo, & per consensum alterū cum perpetuis doloribus. Sanè difficillimus mihi videtur morbus. Pater suasit cauterium cum paruo ferro: quod mihi perplacuit, cum minori dolore & periculo possit illos pilos consumere, quàm psylotra. Rationem adhibendi inuenies apud Auicennam libro 3. Fen 3. Tractatu 3. cap. 32. de pilis inuersis. Poterit aliquis Chirurgus dexter admouere. In primis tamen suaderem vt prius probè purgaretur (ne irritata pars cauterio attrahat humores) pillulis vel decoctione aliqua:

non equidem tuo Oxymellite, ne moueat ei vomitum. Scis enim vomitum nociuum oculis esse, præterea præscriberem scarificationes & frictiones: verùm hæc tuo iudicio committo. Quòd ad Lexicon medicum attinet, dubius adhuc hæreo quomodo colligendum: D. Robertus Constantinus, (qui ante triduum huc venit, cum Dalechampij picturis & libris hîc commoraturus) putat vnamquamque medicinæ partem esse per se conscribendam certa methodo. Deinde toti operi duos subnectendos Indices, Græcum & Latinum. Ego quæcunque lego ad locos communes reduco, ita vt poßim cùm voluero, dissecare pro arbitrio. Iam occupor parando catalogum herbarũ Monspeliensium, & legendo Hippocratem: Interea incipio me exercere in curatione ægrorum, ægros suppeditante patre. Literas tuas scriptas Septembris vltimo, accepi Octob. 5. pro quibus magnas tibi ago gratias, semper meam tibi offerẽs operam. Hæc pauca raptim scripta boni consulas rogo. Bene vale. Basileæ 1562. Octobr. 20.

T. T. IOH. BAVHINVS.

Doctißimo viro D. IOHANNI BAVHINO F. Doctori Medico excellenti, amico charißs. suo: BASILEAE, S.

MIRABAR iam diu nihil literarum à te mihi reddi, chariβime mi D. Bauhine, & cùm dubita-

dubitarem an Basileæ esses, & plurimis negotijs occuparer, ipse etiam neque scripsi ad te, neque relictis apud me schedis vsus sum. Quo primū verò die tuas accepi, quibus illas repetis, mox omnibus relictis eas perlegere, & quæ placerēt, ex eis mihi annotare cœpi. In posterioribus quidem literis, quas Frobenij famulus attulit, empirica tantū reposcis. Vbi primùm nuncius, cui tutò fidam, obtigerit, mittam & hæc & schedas de simplicibus. Schedas tuas non dabo vlli tabellario, ne fortè amittantur: sed dolium Froschoueri expectabo. Rondeletij in Dioscoridem dictata seruabo, donec ea quoque repetas. Interea pro hisce mihi communicatis & tamdiu concessis gratias habeo maximas: maiori autem verborum apparatu non vtor, quod neque te desiderare, neque amicos verè amicos illum decere existimem. Multa in ijs vtilia, iucunda, & antea mihi incognita deprehendisse me ingenuè tibi fateor. Coronatum illum amiserat Molitor quidam apud nos, in der Paradyß můle, vt amissum etiam in templo, vt moris, significârunt, illi restitui. Bibliorum quæ Froschouerus puto nunc imprimit, specimen (vt petis) ad te mittam, cum his literis, si nihil impedierit. Icones verò nostri herbarij nullas mittere possum. Sculptor enim sibi interdictum ait à Froschouero, ne amplius quàm singulas de singulis mihi traderet, quas ego exemplari imprimendo inseram, ne posśint errare. Herbas tuas promissas sat tempestiuū fuerit, si post

canem miseris. Ad lacum illum vbi herbæ illæ D. Aldroando à te permissæ reperiantur, vix spero otium futurum egredi: puto autem me omnia illa, quæ scribis, habere sicca, & cum tabellarius oportunus dabitur, spero me ei missurum communi nostro nomine. Pecuniis commodato datis opus non habeo. D. parentem resaluta officiosè.

NATAVI nuper ad miliare hinc in fluuio, & herbas aquaticas aliquot raras & perelegãtes reperi, iamq́ pinxi. Salsam Parillam cum flore & folijs vbinam vidisti? & apud quẽ? Item Aspalathũ Rhodiam cum foliis vbi? Dracunculi species duas te vidisse scribis, ni fallor: an verò & suspectã illam Matthioli vidisti? Massa ferrata Aldronãdi in segetibus quidnam est? Enneaphyllum Dodonæi quid voces nescio. Elleborum nigrum flore herbaceo vulgarem puto nostrũ dicis: à quo distinguis nescio quẽ pseudo elleborũ. Ego certè vulgarẽ nostrum, cũ omnino sit species veri Ellebori nigri, Pseudoelleborum ineptissimè vocari contendo, est enim mas. Et cũ inter omnes plantas mas ac fœmina reperiatur, qui fœminas genuinas, mares ψυδεῖς & spurios appellant, planè fuerint ridiculi. Hæc scribo, vt in Catalogo tuo occasionem considerandi habeas. Quænam est Serratula à te dicta, aliàs Terzolla, quod contra tertianas polleat? Quæ item Adriana nominata à te solùm? Item Paduæ in horto Musati à te visa laurolea florens Martio, quæ in Germania flore cœruleo spectatur.

tur, non intelligo quæ sit. Inter mensuras reperi à te nominari vncias digiti aliquoties, pro digito autem conÿcio te pedis dicere voluisse. D. Funccius, affinis meus, vxorem bene diuitē, vt audio, Memmingæ duxit, vbi nunc Archiatros est. In mōte Gothardo mense Nouembri Laurum Alpinam virētem (vt scribis) inuenisti ascendendo, quo nomine Balsamum ab alÿs dictum (alÿs Alprosen) accipere te coniecto. Vale. Tiguri raptim, Iulÿ die 11. 1563.

T. T. CONR. GESNERVS.

Excellenti doctrina & virtute D. IOHANNI BAVHINO F. amico suo charissimo: BASILEAE,

S.

SCRIPSI *ad te nudiustertius, & remisi tua omnia, quæ inclusi dolio Froschoueri, qd᷑ ad Mechliniensem mittit: à quo petes. Sunt autem tres fasciculi. Volui enim partiri, vt cōmodius adderentur dolio iam repleto: quæ etiā causa fuit, vt promissas tibi icones non addiderim. Spero me breui aliam occasionem habiturū. Tu si me fortè tardantem vno verbo incitaris & monueris, bene facies. Debent enim amici inter se liberrimè agere: quod vt tu quoque facias cupio. Postremas tuas Guerinus mihi reddidit, in quibus ad quæsita aliquot mea respondes, & ad reliqua etiam, vbi schedas tuas acceperis, responsurū te promittis. D. Funcciū his diebus*

aduenturum expecto: & ex te salutabo. Conditiones, de quibus scribis, vtinam tibi ἰρῆτα πᾶσι ac feliciter succedant. D. Constantinum lubentißimè vidi. audio formas pro Theophrasto eius sculpi apud vos à sculptore Tigurino, nomine Vuyssebachio: quẽ meo nomine salutari velim, & rogari vt duas aut tres picturas, aut vnicam, quamcunque, picturas mihi videndas concedat: totidem, si voluerit, de nostris mittam. Tibi etiam pauculas aliquot mittere potero aliàs, si voles: plures verò, propter importunitatem illius, de quo scripsi, non possum. Catalogum tuum cũ herbis expecto. Vale. Tiguri 1563. Iulij 19.

T. CONR. GESNERVS.

Excellenti doctrina & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO F. Doctori Medico, amico percharo & bene merenti suo: BASILEAE,

S.

LITERAS tuas Augusti 3. datas, heri, id est, 8. accepi. Quòd ad quæsita quædã mea respondes, gratias ago. Coridis Monspeliensis apud vos inuentæ, si potes, semina mitte, item Achilleæ. De Coride sententiam tuam mutatam in Catalogo tuo iam notaui. Cistam cum Catalogo & herbis me accepisse proximè scripsi: maduerant quædam chartæ in via, sed nullo detrimento; mox enim diligenter siccaui. Ne sis sollicitus, curabo & asseruabo tibi omnia

nia studiosè: nec minore cura, quàm si tu ipse tecum haberes, donec remittam. Literas etiam tuas cum duabus picturis, item cum raro illo lapide accepi, & respondi. Pisa non est quòd mittas hoc tempore. Puto enim ad aliquod tempus in thermis nos moraturos: cùm desiderabimus, scribam aliàs. Qui literas tibi reddit, bonus & eruditus iuuenis (quem tibi commendatum esse velim) patrem, Verbi Ministrum Paterniaci habet: is nouit Pharmacopæum quendam iuuenem, Gallum puto, qui seruire cupit. Pityusam Matthioli nondum inueni: neque dum enim euolui herbas tuas omnes, quas miror inchoari à numero 116. vbi enim sunt præcedentia folia? Hodie primùm etiam animaduerti, quas in pegmatio, id est, (Schindeltrücklе) seorsim misisti herbas, à Valerando missas esse Lugduno: easdem enim omnes nominat in Epistola sua ad me. Itaque miratus sum, cur tuum nomen singulis quæ insunt, inscripseris. Pityusæ descriptionem si miseris, grata erit, Catalogo tuo addenda: in eo quidem Hyacinthi veri descriptionem omisisti, addendam autem mones in margine, cū inueneris, mitte. Manna Polonorum satiua in horto mihi crescit, procera: est autem gramen aculeatum satiuum. Quod Vuissenbachius expectat D. Guarini reditum Lugduno, bene est: tunc si vnam aut alteram miserit, ego quoque de nostris mittam, si volet, nullæ ferè adhuc sculptæ sunt. Pictor enim occupatus in depingendis quæ nunc flo-

rent plantis, Sculptori nihil exhibere potest. Icones quadrupedum, auium & piscium vno fasce ligatas Froschoueri famulo tradidi, vt proxima occasione, cùm scilicet dolium aliquod ad Petrũ Mechliniensem Froschouerus mittat, ad vos perferatur: tu moram feres, & munusculum boni consules. Vale. Tiguri 9. Augusti, 1563.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo viro D. IOHAN. BAVHINO F. Doctori Medico excellenti, amico bene merenti, & chariss. suo: BASILEAE, S.

CVM ante paucos dies ad te scripsissem, recepi postea cistam cũ herbis & Catalogo: pro quo beneficio in præsentia gratias habeo, agoq; maximas, donec re ipsa aliquando gratum me declarem. Ex Typographis, qui hîc sunt, neutri adhuc ostendi. Froschouerus nõ facilè suscipit paruos libros cudendos, patruelis meus fortè suscipiet, præsertim post nundinas autumnales Francfordiæ agitandas: si tu concederes, (quod vt facias cupio, & consulo) & qua conditione maturè significares: oportet enim ante discessum ad nundinas cum eo pacisci. Manum tuam nõ vbique assequerentur Typographorũ compositores, quos vocant, vt timeo: & oporteret prius transcribi, transcriptũ conferre. Quòd si maiorem

commo-

commoditatẽ apud vos eius excudendi, præsertim in præsentia tua datam iri speras, remittam ad te, vt primùm volueris: sin minus, retinebo, donec repetas. Quòd illũ in meũ nomen inscribis, pro eo quoq; multum me tuo amori debere fateor, & data occasione memorẽ me futurum polliceor. Pecuniam quã mutuò dederã, dono: tu in præsentia tantillũ boni consules ꝓ tuo candore. Occupatißimus nũc sum circa Pictorẽ & Sculptorẽ, & alijs quibusdam. Nunc etiã catharrus cũ tumore vtriusq; maxillæ sinistræ & hemicrania quadam me exercet, nouus mihi hospes, q de cogitando sine instante me admonet. Interea laborabo dum viuã, et te amabo. Pro Tragorigano gratias habeo, quod tamẽ fœlicius pictor meus mihi expreßit, partim ad siccum à Cortusio missum, partim ad virens in horto meo anno superiore mihi natum, quod tamen ad florem non peruenit. Cucurbita illa (cuius etiam Icone vti non possum, vtpotè imperfecta) nescio an sit cuius fructum Hæmisphæricum ferè superiore anno ad me misisti. Sumptum in Pictorem remittam, si rectè admonueris an vtraq; pictura seorsim, sicut adscribitur, quatuor plappardis constet. Posthac vt sumptui parcamus vtrinq;, qui in tanto stirpium numero nimium excresceret, nihil pingendũ mihi curabis, nisi admonueris prius an habeam: neque enim mearum omnium meminisse potes, & multa subinde alia pingenda curo, nisi omnino rarißima aliqua tibi occurrat, quam

aliàs iterum inueniri posse vix speres. Scribo etiam ad D. Cælium, vt literis eius, quibus Basiliensem quendam Studiosum mihi commendauit, respondeam: & peto vt suo tempore fructum integrũ maturum huius Cucurbitæ ad me mittat, vt & semina habeam, & fructum saltem, quod sat fuerit, accuratius depingam. Hoc tempore non possum occupare Pictorem in herbis siccis: vix enim recentes & virentes nunc depingere omnes potest: siccas in hyemem differo, cùm virentium nulla erit occasio, & interim etiam Sculptori quod agat, suppeditandum. Itaque si tuas retineam diutius, non miraberis, pro ijs ne quidem sis sollicitus, optima fide & diligentia quàm integerrimi tibi asseruabuntur. Ponticum Absinthium non puto id esse, quod apud me vidisti è Vallesia (vbi non in Alpibus, quod sciam, sed in vallibus & collibus, vbi frequentißimum ego reperi, nascitur) missum, neque id Alpinum cognominaui tibi, sed Vallesianum: alibi enim hactenus non vidi, minor ei quàm cæteris astrictio. Ego aliud Alpinum habeo, ventriculo gratius & astringentius, minutum, & nostro cõmuni Absinthio cognatius, quod omnino Ponticum puto, id nisi tibi ostendi, mittam aliàs. Vale, cum D. parente & amicis. Tiguri Kal. Augusti.

1563.

T. T. CONR. GESNERVS.

Præstanti

Præstanti doctrina & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO F. Medico excellentissimo, amico suo charissimo: LVGDVNI,

S.

SCRIPSI ad te iampridem, doctißime & charißime mi D. Bauhine: sed ex vltimis tuis eas tibi redditas esse nō intellexi. Spero tamē eas te accepisse postea. Lugduni cui te cōmendem nescio: neminem enim illic prater D. Dolechampium noui, qui fortè Lugdunum nondum rediit: illi verò iam prius te notum, commendare pluribus, superfluum fuerit. Si illic inueneris optimum & doctißimum virum Dominū Petrum Viretum, Theologum & Concionatorem disertißimum, μυρίας *salutes meo nomine ei dices. Apud illum quidem & alios bonos & eruditos viros tua te pietas, virtus & doctrina commendabunt. Ne tamen nihil tua causa faciam, scribo ad Antonium Gryphium Typographū, summum amicum meum, eiq; te commendo. Vallerandum nostrum meo nomine salutabis peramanter, & quòd non scripserim, excusabis. Literas tuas ad Calceolarium cum Catalogo heri curaui.*

Vale. Tiguri 1563. Octobr. die 3.

T. CONR. GESNERVS.

Præstanti doctrina & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO Doctori Medico Germano, amico singulariss. suo: LVGDVNI,

S.

TVAS Lugduni datas Octobr. 14. accepi hodie, qui est Nouembris 14. Gaudeo te incolumem Lugdunum venisse, & lecturũ istic pharmacopœis. Literas meas binas ad te intercidisse doleo, non memini quid in eis scripserim, nec epistolas tuas ad quas velles me denuò respondere, inuenio. Soleo enim postquã respondi, in aceruos schedarum mearum Epistolas conijcere, etiam dissecare, & pro argumento cum schedis meis distribuere: quamobrem paucis indicabis, ad quænam iterum respõderi à me tibi velis. Nuper scripsi ad te per Antonium Gesnerum cognatum meum, & ad Vallerandum quoque, cui rariuscula quædam misi, quæ is proculdubiò libenter aut communicabit tecum, aut saltem ostendet. Hac hyeme vbi otium erit, semina mea tractandi, si quæ tibi pro horto tuo grata futura putauero, seligam, & mittam. Opus meum de herbis nisi promisissem Froschouero, libenter Rouillio Typographo concederem. Sed quando tandem absolui id à me poßit, nescio. Scribo hæc subitò post duas horas à tuis acceptis, cùm se nuncius offerret. Grana Balani myrepsica grata fuerũt. Curo enim de peregrinis saltem particulas aliquas pingere, vt his diebus

bus Euphorbij fructum & spinas. Proinde D. Vallerandum rogabis, si quid inter exotica & transmarina aromata, lacrymas aut alia se offerat (nam in ipsis gummis, vt vocant, aliquando folium, fructus, aut semen latet) vt mihi seponat. Mattheoli promissa Deus secundet, optarim quàm plurimos hoc argumentum excolere. Rara pauca iam accipio: si quid tamen fuerit, tui memor ero. Mitto nunc in vasculo stannato resinam nouam, quam Indi Occidentales Taccamahacca vocat: & quia vasculū non est plenū, addidi semina Farris illius, quod Itali Scandelam, Plinius Sandaliam vocat, & docti quidam pro Olyra accipiunt. Eiusdem spicam integriorem cum Molucha herba posui. D. Dalechampio plurimam ex me salutem dices, quo cum te & Vallerandum mea omnia communia habere cupio. Scripsissem ad ipsum, si repentinus nuncij abitus permisisset, antehac quidem eum redijsse Lugdunum ignoraui. Vlga quidam Medicus Hispanus fertur practicam quandam, aut de morbis curandis librum doctißimū edidisse, cuius exemplaria duo si apud vos reperiri aut accersi possunt, cura vt quàm primùm accipiam. Geneuam mitti poterunt ad Ioh. Frisium F. qui est cum D. Cheuallerio. Velim etiam addi librum medicum Haliabbatis Lugduni impressum 1523. in quarto, nisi posterior aliqua editio inueniatur. Vale. Tiguri 1563.

T. CONR. GESNERVS.

Præſtanti doctrina & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO iuniori, Medico excellentiſsimo, amico bene merenti & obſeruando ſuo: LVGDVNI,

S.

ETSI nihil ferè operæpretium habeam, quod ad te ſcribam, optime & chariſsime Bauhine: nolui tamen patruelis mei filium Antonium Geſnerum ſine meis literis ad vos venire. Scribo autem breuius, quum occupatiſsimus ſim, & an omnino adhuc Lugduni ſis dubitem. Stirpium hiſtoriam in manibus habeo, te velim arti exercendæ totum eſſe deditum: & Chirurgiæ quoque, cuius tanta hodie paſsim imperitia eſt. Valemus hîc Dei gratia omnes mediocriter, niſi quòd Muralti Chirurgi noſtri filius nuper in Melancholiam hypochōdriacam incidit, & ſentit interdum breues quoſdam paroxyſmos, in quibus vapores ab ore ventriculi fortè ad caput euecti, ipſum quodammodo obſtupefaciunt: & epilepſiæ quiddam præ ſe ferunt, extrema refrigerantur, & vix mouentur, manat & ſudor frigidus aliquando. Noſti ipſum familiariter puto, eiúſque corporis conſtitutionem, & quòd à puero ferè ſplen ei malè affectus fuerit. Timemus autem ei valdè ne ingraueſcat malum, vel certè in longiſsimum tempus ducatur, ſicut D. Glabero, vt noſti, qui etiamnum, ni fallor, eius mali reliquias ſentit. Quamob-

rem

rem cupio vt excellentes aliquot Medicos Lugduni, aut vbicunque ſuper hoc caſu conſulas, & maturè ad nos perſcribas, vt communi amico optimo iuueni quantum in nobis eſt, non deſimus. De Petro Bintinô noſtro ſi quicquam adhuc reſciuiſti, aut reſcire potes, (velim autē te diligentiſſimè percunctari) rogo vt mihi ſignifices. Affinis quidam Buttini nomine Vollet literatus Valentiæ habitat, ad quem duobus verbis ſcribere poteris, ſi aliter non reſciueris de ſtatu Buttini. Vallerando, quē plurimùm amo, merito ſuo, ſcribam ipſe, ſi nil impedierit. D. Claudio Milleto, Medico longè doctiſſimo me commenda, & pete vt vel nunc tandē aliquando, vno alteroq; verbo per epiſtolam me dignetur, quam cognatus meus rectè ſit curaturus, & aliquid ad hiſtoriā ſtirpium noſtram, quicquid aut quantulumcunq; id ſit, conferat, vt vel ita mihi faciat occaſionem ipſius in hoc opere honorificè nominādi. Quòd ſi nunc etiā aſpernabitur petitionem meam, quoniam toties per annos iam amplius viginti tres eum ſalutaui, interdum ſcripſi, libellum dedicaui: ipſe verò nunquam ne γρῦ quidem aut ſcripſit, aut miſit, etſi ſpem mihi non ſemel fecerit per amicos, qui meo nomine eum ſalutârunt, in poſterum abſtinebo, & quā apud me faciebam hactenus, ſemper eius memoriam propter excellentem doctrinam, quanquam vix & inuitus expectorabo. Germania multis in locis exagitatur bellis, præcipuè verò ad oram Oceani circa Boruſ-

siam & Liuoniam. Moschus nuper aliquot arces Liuoniæ obtinuit. Belli inter Suecum & Danum Reges nondum est finis. Induciæ, quas Polonus cum Moscho pactus erat, iam sunt finitæ. Nobilis quidam von Grumbach nuper magno exercitu (Saxonū vti audio) Franconiā inuasit, & vicinia loca: nunc tamen motum illum aiunt esse sopitum. Tu si quid de Duce Sabaudiæ, aut alijs rebus cognitu dignis acceperis, ad me scribe. Vbi te Lugduni & esse, & mansurum ad aliquod tempus cognouero, scribam proximè plura, & aliquod etiā ἰατρικὸν, vt quod nuper de succo Scordij à D. Ioh. Cratone accepi. De D. Dalechampio solicitè aliquid audire opto: item de D. Constantino: Andreas Belicoccus Veronēsis Pharmacopœus misit ad me nuper Squinanthum cū flore, Acaciæ vasculum seminum cū spinis & suo gummi, Costum illum factitium, Mithridatij sui vasculum, & Oleastrum Rhodium diuersum ab Aspalatho prius misso. Promisit & alia, quæ Româ expectat. Peruelim te Lugduni versari sæpius, & familiariter cum Medico Hospitalis summi, & Chirurgicis administrationibus nonnunq̄ interesse. D. Ant. Gryphio, cui nuper scripsi, teq́ illi cōmendaui, plurimam ex me salutē dicito. Theophrastū Cæsaris Odoni Bononiæ impressum, si apud eum reperitur, fac vt cognatus meus mihi afferat. Itē Guilandini libellos, quos recens in Italia, Paduæ puto aut Venetijs edidit, siue Latinè, siue Italicè. Audio eum peregrina-
tiones

tiones suas descripsisse. Hæc si non reperiuntur, cupio te curare per D. Gryphium, aut alium, vt accersantur: nam ex Italia iam sæpè frustrà petij, à vobis facilè Geneuam mitti possent ad Iohan. Frisium iuniorem, qui apud D. Cheuallerium Professorem agit. Vale. Tiguri 1563. Octobr. die 28.

T. CONR. GESNERVS.

SI D. Vallerandus noster Lugduni est, bene est, scribo ad eum: sin minus, permitto vt meas ad ipsum literas aperias, & metallica rara, quæ ad ipsum mitto, inspicias, & ex doctis etiam Medicis D. Dalechampio & Milleto præsertim ea ostendas, & iudicia audias: sed ita, vt omnia rursus integra concludas, & tutò citoq; si fieri potest, ad Vallerandum mittas. Antonium Gesnerum mercatorem cognatum meum habeas tibi commendatum, quæso. Emet simplicia quædam Lugduni, in quibus si tu & Dominus Vallerandus ei adfueritis, vt bono & commodo pretio emat, rem mihi gratissimam feceritis. Qui libri noui istic cudantur, fac sciam. Mitto tibi icones aliquas stirpium nostrarum, vt ostendas amicis, præcipuè D. Dalechampio, & tuam quoque sententiam dicas, vbi contuleris cũ aliorũ hactenus editis picturis. Si D. Dalechampius apud vos est, & expetat vt ad Epistolas aliquot postremas suas respondeam, faciam lubens: nũc partim quia occupatissimus sum, partim quia de ipsius in me animo, muta-

to fortè, si vltimas meas recepit, certior fieri cupio. Quòd si is vel abest Lugduno, vel abest quidem, sed à me (quod Deus auertat) alienatus, prospicias mihi de alio quopiam Medico erudito Lugduni, aut in vicinia, ad quem scribam interdum, & aliqua petam, mittamq́ vicißim. In Solerij Annotationibus in Aëtium legi, Nasturtij genus luteo flore, folijs Sisymbrij Cardaminæ, Lugduni se vidisse in horto Franciscanorum, qui id Anitones nominēt, alibi nusquam de eo vt inquiras oro, & semina mittas. Ac si quæ etiam alia habere poteris non vulgaria, mei vt memor sis, ac historiam stirpium per occasionem tibi commendatam habere pergas, obsecro. An D. Rondeletij de Piscibus liber secundò sit impressus, quando, & quanti væneat, scribe. Audio & Montani Medici Itali libellum quendam Lugduni impressum esse in octauo, in quo agat de apoplexia & alijs 4. morbis capitis, quem rogo vt summa diligentia perquiras, & mittas per cognatum meum, qui satisfaciet, aut D. Gryphio des ad me mittendum: nam ipsi inquirere fortè non vacat, & antehac etiam ab ipso frustrà petij: mittet autem is ad me alios quoque libros. Ambrosius Parè Chirurgus Parisiis ante biennium edidit librum Gallicum de Vulneribus & fracturis capitis, de quo velim te inquirere, an ab eo tempore Latinè etiam excusus sit: & si inueniatur, Gryphium monere vt mittat cum cæteris. Hæc ex Calceolarij epistola tibi excidi.

M. Io-

M. Iouane Bauhino Iunior, come si troua in Lugdunio, vi prego caramēte farmi a sua Etia recommandato asai asai, alquali per la sua gentilisima natura son fato schiauo e seruitore, facendoli intender come mandai il suo Catalogo de Simplici, qui mi mando al Magnifico Cortusio.

T. T. CONR. GESNERVS.

Optimo & doctissimo viro IOHAN. BAVHINO Medicinæ Doctori excellentissimo: LVGDVNI,

S.

MITTO tibi, mi Bauhine, Epistolas binas ex Italia, his diebus ad me perlatas: plura autē scribā per Sangallēses Mercatores proximè. Omnia hic Dei gratia benè habent. Castalio Basileæ obijt. Pestis illic, vt audio, incipit. Bernhardinum in Poloniam abire puto. Saluta amicos. Vale. Tiguri 6. Ianuarij, 1564.

T. CONR. GESNERVS.

Eximia virtute viro D. IOHANNI BAVHINO Medicinæ Doctori excellentissimo,

S.

BELLVM illud in Germania exortum contra Episcopum Vuirtzburgensem puto maximè, mox compositum est, & nobilibus belli authoribus,

quæ volebant concessa, cogor breuius ad te scribere, quàm vellem. nam & alia quædam vrgent, et cupio D. Dalechampij literis iamdudum ad me datis binis aut ternis, quibus nondum respondi, respondere. & heri vesperi venit ad me nuncius cum literis prolixis D. Ge. Aemylij, qui in sylua Hercinia (centum fortè à nobis miliaria) Theologum & Concionatorem agit, idemq́; rei herbariæ studiosißimus est, ita vt plerasque plantas carmine eleganti describat, illius & alterius quibusdam literis hodie respondere cogor. Ad praxim conuenientia tibi quid habeam, nunc non succurrit. Scis me hominem obliuiosum esse, nō tam naturâ, q̃ studijs & laboribus obrutum. Numeraui his diebus libros, ex quibus stirpium historiam decerpo, numero circiter ducentos. Oxymelite maiori meo nunc etiam vti incipio, non rarò. Quaternario iuueni nuper ter dedi, qui cùm periculosißimè laboraret, nunc ferè sanatus videtur. Minus dedi seni sexagenario, qui paroxysmo inuadente ex asthmate semper grauiter laborabat. Huic etiam ter dedi, & postea ter oleum Vitrioli ad sex, aut septem guttas pro vice cum syrupo de acetositate citri, & aqua Gentianæ. Illum paulò pòst & febris & asthma reliquerunt. Matri etiam meæ asthmaticæ permultos iam dies affixæ lecto, & abhorrenti ab omni medicina cum oxymelitis minoris minimum vino maluatico miscuissem, & illa interdum leuißimè degustaret, mox quasi à morte resurrexit.

ſurrexit. His remedijs igitur confidenter vtitor, & in magnis etiam morbis Philonio interdum. Si quid aliud te dignum acciderit, ſeponam tibi in poſterum. Squinanthi florem non mitto, tum quia vnicum habeo ſtipitem paruum, in quo flores etiam minimi ſunt, & nullius certæ formæ. Flores tamen eſſe omnino apparet. Acaciæ folia non accepi, ſed vaſculum fructuum ſolum, & ſpinas minimo ſpecimine. Abſinthij Pontici mei, ſiue Alpini minoris, ſpecimẽ ad te mitto: eſt autem iam vetuſtius. Quod & in arte noſtra, & Chirurgia, ſimul & legendo Pharmacopolis te exerces, rem te dignam & vtiliſſimam facis. Ad D. Dalechampium ipſe ſcribam. Pro eo quòd mihi tuam operam offers in promouenda mea ſtirpium hiſtoria tam benignè, gratiam ago maximam, & candorem tuum exoſculor. Icones iam aliquandiu nullas fecimus, quod Pictor & Sculptor in alijs ſuis negotijs occuparentur, & ego minimè vrgerem, qui eos feſtinare non cupiam, ne Typographus poſtea me quoque intempeſtiuius vrgeret. Chr. Froſchouerus iunior iam omnem officinæ curam in ſe recepit, vbi complures ſculptæ fuerint, eo permittente, ad te mittam. Gratum fuit Muralti filio, & mihi quoque, quòd de hypochondriaco affectu tuam & aliorum ſententiam perſcripſiſti: habet is nunc multò lenius, ipſe etiam oxymelite maiore meo vſus, & purgatus. Multum in eo poteſt animus: Cùm primùm enim cogitat

ſecum de hoc malo, ieiunus præſertim, facilè in id incidit. Semen illud à te miſſum tibi incognitum, videtur mihi eſſe ſpecies illa Lycij, quam Matthiolus (puto) pingit folijs modicè ſerratis. Spinam ceruinam minorem ego dixerim, circa Curiam reperi. Occhinum propterea quòd librum ediderit Baſileæ, interprete Caſtalione, non oſtenſum prius Tiguri, in quo aiunt paradoxa quædam contineri, Senatus noſter nuper diſcedere iuſſit: diſceſſit autem Baſileam, vbi an receptus ſit, neſcio. Reſalutant te D.D. Cellarius, Vuolffius & Muraltus. De Petro Buttino vt inquireres ad te ſcripſi, ſed nihil reſpondiſti. M. Petrus Figulus petit ſemen Momordicæ, ſiue Balſaminæ. Vale. Tiguri 1563. Decembris die 12.

T. CONR. GESNERVS.

Clariſsimo viro D. IOHANNI BAVHINO Doctori Medico & Chirugo præſtantiſsimo, amico primario ſuo: LVGDVNI,

S.

NVPER *admodum ad te ſcripſi, ſuauiſſime mi D. Bauhine. Nunc etſi in luctu propter chariſſimæ matris meæ mortem intra triduum defunctæ, conſtitutus, ſcribo tamen ad te breuiſſimè. Proximis literis ante dies paucos commendaui tibi Germanos aliquos Belgas iuuenes, quos ſpero te accepiſſe. Moriuntur apud nos pleuritide quadam*

dam maligna, & vt videtur, contagiosa nonnihil, in qua phlegmone quidem est, sed nihil expuunt, vt siccam, aut astrictam pleuritidem eam vocare liceat. Ea etiam Froschouerus senior extinctus est. Qui breuißimè tertio, alij sexto die moriũtur. Quòd ad remedia, hæremus & dubitamus q̃d maximè tentandum sit. In plerisque catharrus à capite superueniens arteriam implet, ita vt stertant quodãmodo, & prohibet sanguinem, & à thorace humores expectorari. Quid si cauterium sub loco affecto fieret? Meminit eius (ni fallor) Alexander Benedictus. Martij 21. per D. Scharnerum Curiensem Consulem, quo cum Alpes Rhæticas superauimus, ad te scripsi. D. Cortusii ad te literas semel an bis ad te miserim, non memini. Tu quoties acceperis, ei significato. Fidem bonam in me non patiar desiderare quenquam. Literas ad me tuas & à cognato meo, & à Correctore Froschoueri accepi. Quòd autem ad diuersas circa simplicia opiniones, respondere ad singula certi aliquid non possum: de multis enim ipse adhuc dubito: et obseruationes meas authorúmque loca de singulis perquirere, & ad te scribere nimis laboriosum mihi alioquin occupatißimo foret. Chirurgis te interpretari institutiones Tagãtij gaudeo, quid si commentarios etiam aliquos in eas meditareris? M. Petrus Lithotomus noster, mittit ad te depicta quædam instrumẽta. Ego certè illum vt candidè & liberaliter tecum agat, hortari soleo. Ber-

nardinum Ochinum audio nunc Francfordiæ fuisse, & editurum Apologiam contra nostros. Nuper colicam mulierem curandam habui, cui post multos clysteres & pharmaca summoperè profuit modicum olei vitrioli cum drach.ß. theriacæ & sudore. In Italia (Venetijs puto) Dictionarium medicum prodijsse audio, nescio quale, aut cuius autoris. Oporinus impreßit Medicæ consultationis apud ægrotos secundùm artem & experientiam salubriter instituendæ Enchiridion, authore Matthia Cornace Regis Rom. Physico. D. Ant. Gryphiũ saluta peramanter, & vt pro libris mißis pretium à Sangallensi aliquo, præsertim Linero, meo nomine petat, iube: cui ego hic reddam: sin minus mihi significet, & mittã. Auerrois opera an excusa sint Lugduni, & quanti væneant, indica. Constantini, Scaligeri, alij aliorum libri noui, qui & quando sint edendi, scribe. D. Rondeletij in Dioscoridem Annotationes tuæ iam mihi describũtur. De Lycio & Spina Burgundica, Philyra & Philyrina cõsidera quæso. Vale. Tiguri 1564. Aprilis die 5.

T. CONR. GESNERVS.

Clarißs. viro D. IOH. BAVHINO, Medico Germano excell. LVGDVNI, S.

C*VM Tabellarius ad nos occurrisset, arrepto calamo scribere aliquid volui. Postremæ literæ tuæ*

tuæ Decemb. 13. à te datæ sunt. Expectabã vt à Mercatore Sangallense aliquo acciperẽ à te aliquid: sed an illi adhuc appulerint, nescio. Ego his ꝓximis diebus ad te scripsi, & literas Basileã ad parentẽ misi, cum seminibus quæcunq; habebam rariora. Opiniones tuas de plantis quibusdam libenter quidẽ lego, sicuti & Vallerandi nostri: sed respondere ex tempore difficilè mihi est, tum alias, tum quia plurimas obseruatiões meas in schedis innumeris digeßi, quas nunc perquirere & inspicere singulas non poßum. Antequam verò pronunciem quicq̃, & librũ edam, Deo dante, sententias vestras omnes accuratè considerabo, in multis certè nihil, q̃ temerè aliquid affirmare malo, quamobrẽ sententiam meam cohibeo. E libris Scaligeri, Dalechampÿ, Constantini, quãdo edenda sint, aliqua per occasionem mihi inquire. Literas meas & his diebus scriptas ad te, & alias Febr. 20. an acceperis significa. D. Dalechampio scribam aliàs. Ex illis, quæ Vallerando nunc mitto, metallicis, si quid fortè desideras (puto autem te iam prius omniũ specimina habere) pete. Vale. Tiguri 1564. Febr. die 15. T. CONR. GESNERVS.

Ornatiſs. viro D. IOH. BAVHINO Medico Germ. præstantiſs. LVGDVNI,
S.

HERI *ad te scripsi breuißimè, & misi binas ex Italia ad te literas: alteras à D. Cortusio puto,*

alteras verò à Calceolario Lithotomus etiam noster ad te scribit. Nunc quod addam, inuenirem fortè aliquid, sed non vacat. Scis practicam meam angustißimam esse, & multa experiendi facultatem mihi non dari. Senem plus quàm septuagenarium pleuriticum his diebus curaui. Is primùm ipse sibi cataplasma applicuit, ex Absinthio in aceto feruefacto, calidum, & post aliquot horas semel iterumq; repetijt. hoc sibi aliàs etiam manifestè profuisse ait, & idem ab alijs valde commendatum memini me audire: quare ego quoque in posterum vtar. Ego ad ipsum vocatus Oxymeli meum cum Loch sano dedi, & Fœnograeci decoctum meum quod nosti, profuit ilicò, & Dei gratia liberatus est. Remedium etiam illud ad secundas pellendas ἐξ ὀρχίων ἱππέων iam aliquoties nobis mirè successit. Quisnam aut qualis practicus est Tornauilla nomine? Audio eum à Schecio (cuius libri demonstrationum nunc imprimuntur Basileæ) laudari, propter diligentem causarum tractationem. Inquire de eo, & si non malus scriptor tibi videbitur, mone D. Gryphium nostrum vt ad me mittat, cũ cæteris, de quibus nuper ad te scripsi. Vide quæso in Cordi descriptionis plantarum libro quinto seorsum impresso, an Philyricia ab eo dicta sit spina Burgundica, vt ego conijcio, & an eadem, vt mihi videtur, Apharca Theophrasti sit. hac de re cum Domino Dalechampio conferes, quẽ meis verbis salutabis officiosè, & excusabis, quòd nunc

non

non scribam, qui & occuputißimus sim, & ipsius responsum expectem. Quæ item est Phylira Cordi eiusdem libri, cap.23. descripta? an ea quam Matthiolus exhibet? Vale. Tiguri 1564. Ianuarij die 7. Saluta etiam D. Valerandum nostrum.

T. T. CONR. GESNERVS.

Clarißimo viro D. IOHANNI BAVHINO Doctori Medico, Germano, eruditione & vsu artis excellentißimo, amico intimo: LVGDVNI, S.

CVM Geneuam ad D. Franc. Portum scribendi occasio mihi daretur, volui ad te etiã literas breuißimas dare. Semina vt petis aliqua tibi ꝓcurabo. Catalogum Aldronandi etiam remittam, & in Dioscoridem ex D. Rondeletio Annotationes. Tua verò descriptione stirpium nondum sum vsus, neque plantis siccis rarioribus ad meas picturas: partim propter plurimas maximásque occupationes meas, partim etiam quòd Pictor aliquandiu hactenus rebus alijs necessarijs impeditus fuit. Spero autem te, sicuti polliceris, ante tempus oportunius non repetiturum à me. Interea bene est, quod monuisti, vt eo citius vtar omnibus. Quanquam, si fieri posset, rogatum te vellem, vt mihi plantas tuas omnes, vnà cum descriptione relinqueres, donec opus meum herbarium absoluissem totum. Iam enim no

mina singularum, quas describis, notaui, & cùm meis schedis digessi, vt cùm ad historiam singularum accedam, descriptiones tuas paulatim inspiciam. Sed quod iusseris, faciam: non solùm quia res istæ tuæ sint, sed magis quia ego etiam tuus. Hæc in præsentia festinantissimè. Breui plura tibi & Domino Dalechampio, ac Vallerando meo, vt literis, quas Paulus noster (Froschoueri Corrector) nuper à vobis reddidit, respondeam. Interim illis me commendabis, & Antonio Gryphio nostro. Ad schedas meas de Cedro & Iunipero per otium responde, & meas quoque schedas remitte. Cassiæ florum surculum depictum egregiè in Memphide Aegypti, Adolphus Occo Augustanus Medicus nuper ad me misit: florem in primis ostenderas, vnde ego eum pinxi, sed ordo quo plantes, in imò surculo nascitur, pulchrè in hac pictura videtur. Idem etiam de alijs quibusdam raris Aegypti plantis spem mihi fecit. Cæsarem grauissimè ægrotare audio. Antheræ radices à Vallerando missas his diebus, in memet experiri volui: bibi autem earum dilutum ex aqua mulsa, amaræ satis sunt: sed salubres, & sine omni, quod obseruauerim periculo: quod mireris in Aconitorum familia.

Hæc addidi, ne sine medico argumento meas acciperes. Vale. Tiguri 1564.

T. CONR. GESNERVS.

Claris-

Clarissimo viro Domino Doctori IOHANNI BAVHINO F. Medico præstantiss. doctissimoq;, Germano, LVGDVNI, S.

VENIT his diebus ad nos egregius iuuenis Carolus Rokelsingerus, q cũ Castalione aliquandiu vixit: is mihi attulit à parente tuo Bouis syluestris, (quẽ ex Vngaria nuper Mompelgardum adductum ait) gratißimã mihi picturam, & quia nunc cõmodè oblato nuncio, patri tuo propter eã gratias ago, simul etiam semina, quæcunque te non habere istic posse, ad te mittere nolui cum meis ad te literis ad parentem mißis. Sunt autẽ seminum genera xx. Mercatores Sangallenses miror nondum ad nos rediisse: per illos enim literas tuas expecto. Plura nunc non licuit. Ochinum audimus Norimbergæ esse, & aliquid conscribere. Metallica ad D. Vallerandum tĩ meo ne nõ mittere poßim breui. nam & occupatior sum, quàm vt disquirere liceat: & nuncij, qui onera huiusmodi suscipant, rarißimi inueniuntur Lugduni. Commodius Antuerpiam, quã ad vos mitterem. Mercatores enim nostri Francfordiam suas merces mittũt: Lugdunum verò nemo nostrorũ sua, vt scis. Cogitabo tamen, & non negligam occasiones, vt aliquid saltem mittam: quanquam mallem aliqua retinere, donec meum de lapidibus & metallis libellum, quem nunc rursus in manus sumo: tandem

absoluissem: interim meo nomine amantissimè eum salutabis, & reliquos amicos. Ad suffusiones oculorum curandas medicamentum quoddam D. Rondeletio vsitatum, vt audio, ex Omphacio si tenes, ad me scribe. Bezoar lapis contra venena, qui & qualis sit, si vsquam perscrutari potes, aut ipse videre, mihi perscribe. D. Crato his diebus vnum descripsit, quem ego ex descriptione Aëtite congenerem esse coniicio, etsi non resonat intus. Ioan. Iacobus Muraltus F. cùm Bada nuper esset, in meam gratiam varia venena experiri voluit in canibus, sed reliqua ferè nihil eos affecerunt. Nucis vomicæ autem ℈. ß. tantùm cùm dedisset cani in carne cruda, post horæ quadrantem canis obdormiit, & inter dormiendum modò caput mouebat, ac si conuellerentur, modò tibias anteriores, modò posteriores, tandem post horas quatuor extinctus est. Tum rursus alteri cani idem venenum similiter dedit, & tres ferè horas post, cum vehementibus symptomatis corriperetur, Antidoti Saxonicæ meæ drachmam semis cum carne cruda exhibuit (quam aliquandiu quidem canis accipere detrectabat, sæpius verò & subinde oblatam, tandem admisit) non est autem mortuus, quod sciat: nam post horas quatuor rectè ambulantem eum vidit. Hinc & narcoticam esse, Vomicam nucem vulgò dictam, & vel Opio deteriorem apparet. His diebus quidem rursus Badam se conferet, & an adhuc viuat, resciscet, & alia

alia quædam in mei gratiam experimenta faciet. Velim autem te quoque huiusmodi aliqua tentare per occasionem, & D. Vallerandum quoque, atque de ijs interdum mihi significare. Aetitæ substantiam interiorem quæ cretæ similis est, venenis aduersari puto, & audiui. Cupio autem nos experiri, ego vnicum habeo quem non libenter fregerim. Aliâs plura. Vale Tiguri 11. Febr. 1564.

T. CONR. GESNERVS.

Præstanti doctrina & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO F. Doctori Medico Germano, amico syncerissimo suo: LVGDVNI,

S.

ITERVM ad nos redit D. Tscharnerus Consul Curiensis vnà cum Clarissimo viro D. Guicciardo Medico, qui Rector aliquando Papiæ fuit, & Telij in valle Telina liberalissimè nos excepit. Eos tibi commendo quoad possum, si qua in re eis gratificari potes vt facias. Nihil habebam quod ad te mitterem per ipsos: nam & festinabant, & ego meo more occupatissimus eram. Basileæ pestis adhuc grassatur: nos Dei gratia salubri hic aëre fruimur. Rondeletij in Dioscoridem cõmentarios iam describendos curaui, & cũ se occasio offeret ad te remittam. Vale & saluta D. Dalechampium, Gryphium,

Salutat te Pet. Figulus, & quæ à te petijt expectat. D. Gryphium cupio indicare quid ei debeam: proximè plura. Ad literas tuas Martij 10. datas breuißimè respondeo. Carolus Reckelsingerus literis acceptis de morte parentis discessit. Bouis syluestris illius figuram, quam tu mihi fieri curasti, plurimum tibi debeo. est autem satis magna in panno facta, quare non commodè ad te mittere possum. Breui fortè iconibus recudendis addetur. Pro diligenti obseruatione tua, & descriptione Bulbi syluestris Fuchsij, quem ad Ornithogalon refers, magnas tibi gratias ago: nec est quòd tuæ sententiæ (cui faueo) opponam. Semina eorum etiam conferes cum vacabit. A Domino Cortusio si quid rari acceperis, nomina saltem indica, ego iam multis mensibus (aut vltra annum) nihil ab eo. In alteris deinde (Martij vigesimo quarto, datis, quas simul cum superioribus misisti) permittis mihi vt descriptionibus tuis, & plantis fruar, quamdiu opus fuerit, qua de re plurimum mihi gratulor. Optimè & diligentißimè omnia seruo, & nunc hæc scribens inspicere volui, nec vllum deprehendi vitium. Cuperem te aliquam herbam peculiarem tibi deligere, quæ nullo hactenus nomine, antiquo præsertim, medicis innotuisset, & cuius tu vires aliquas experiundo confirmasses, vt eam à tuo nomine denominarem, cogitabis per otium. Iam Cortusius Monthaurus, Calceolarius,

riūs, &c. sibi παρωνύμους miserunt. Semina M. Petro figulo dedi. De cedro respondebis per otium, si poteris. Venio ad vltimas tuas Maij die 9 scriptas. Ad schedas meas quas describere voluisti, quandocunq; per otium rescire ex eis aliquid, & respondere poteris, gaudebo. Pleuritis illa pestilens, Dei gratia, verno solum tempore durauit, si quos libros nouos videris, vel audieris, scribe. Adolescens ille Massiliensis Pharmacopœus qui Basileæ fuit, nuper cum alio Iuuene Gallo Venetias profectus est, per quem D. Cortusio scripsi & Vallerando, &c. An dictionarium medicum aliquod, & de instrumentis Chirurgicis libri prodierint, & vbi, significa. Pro Caryophillorū ramulo, & Calchanto Cyprio cum Misy gratias ago. Iterum vale. Tiguri 1564. vltimo Iunij.

T. CONR. GESNERVS.

Clarissimo viro D. Doctori IOANNI BAVHINO F. Medico præstantissimo, amico syncerissimo suo: LVGDVNI,

S.

HIS diebus per Consulem Curiensem ad te scripsi; nūc hosce Iuuenes eruditos Belgas tibi cōmendo. Heri deglutiui pulueris de herba Gratiola ℈.1. cū rob acinorū sambuci, vnde copiosè sum purgatus supra infraq;: mirè phlegma & aquas de-

trahit, sed non sine molestia. Pleuriticam mulierẽ cum his dieb. curarem, Scarabeum viuum, nigrum, cornibus binis, prælongis, flexilibus, articulatis purè circum circa repletum excreuit, res mira. Senserat ea prius longo tempore motum quendam & vellicationem in ventre. D. Antonium Gryphium saluta amãter, libros duos ab eo missos accepi: quorum precium vt indices expecto. Reliqua ex his Iuuenibus c gnoscas. Vale. Tiguri 1564. Martij die 24.

T. CONR. GESNERVS.

Præstanti doctrina & artis vsu Medico D. IOHANNI BAVHINO Iuniori, amico suo longè Charissimo: LVGDVNI,

S.

ACCEPI *literas tuas suauissime mi D. Bauhine, 7. Octob. datas, & ex tuis ad patrem omnia quæ cupiebam intellexi. Ago autem gratias toto pectore Deo Opt. Max. Patri Domini nostri* IESV *Christi, quòd ex tantis sæuissimorum morborum periculis ereptus & restitutus sis nobis: idem te in posterum etiam animo & corpore incolumem seruet. Tuas ad parentem literas crastino die mittam per cognatum meum, qui Basileam ad nundinas descendit, & has quoque meas ad te addam: pater enim fortè citius mittet. Libellum quoque ad D. Funckium crastino die curabo per*

per

per ciuem quendam eius. Eum ego nondum inspexi, dedi enim statim describendum: postea per otium inspecturus. Pestis apud nos pergit quidem, sed mediocris Dei gratia & clemens satis. Libellum Germanicum hic impressum ex communi sententia Vuolphij, Cellarij, & mea de pestis praeseruatione & curatione ad parentem misi, vt si videretur ad te mitteret. Eum si acceperis, de iudicio tuo candidè ad nos rescribes: idq; vt facias rogamus. multum enim tibi tribuimus hac in parte, quòd eruditioni tuae exercitatio etiam, & obseruatio multiplex accesserit. De Petro Buttino Pharmacopola, cuius supellectilem adhuc domi meae seruo, si quid certi nouisti an viuat nec ne, vno verbo significa. Pharmacopolae nostri Clauseri famulus adultus, & satis peritus si veniret Lugdunum Verno tempore, putás ne illum herum inuenire posse? Ex duobus Epistoliis tuis alterum planè lacerum Geneua ad me peruenit, alias charta inuolues & munies. Vale in Domino: Tiguri, Nouembris 5. 1564.

T. CONR. GESNERVS.

Præstanti doctrina & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO F. Medico Excellentissimo Germano: LVGDVNI,

S.

LITERAE tuæ Charissime mi D. Bauhine, Decembr. 5. datæ, 17. eiusdem mihi redditæ sunt, quibus breuiter multa iam nocte respondeo. Pestis adhuc mediocriter hic grassatur, libellum nostrum tibi non displicere gaudeo. cum otium erit, consideres diligentius, & quæ mutanda consulas, et quo, ingenuè moneas. Tibi enim multa experto fidem habebimus. Mihi nihil ferè adhuc experiri licuit, nemo in tempore nos vocat, nemo consilijs obtemperat. Oxymeli meum minus, nonnullis profuisse videtur ab initio datum cum leni potiuncula aluum soluēte, & postea per interualla exigua dosi ad propellendum à centro venenum ad cutim & apostemate: id quod efficit gnauiter, si vllum aliud auxilium. Libellum tuum de pestis curatione, quē ad D. Ioan. Funccium scripsisti, valde probamus et petimus vt concedas illum excudi, siue per se, siue cum aliis quibusdam in publicam vtilitatem. Siquid tamen mutatum voles, admone tempestiuè, id est primo quoque nuncio. Vale. Tiguri 1564. Decemb. 17.

T. CONR. GESNERVS.

Cla-

Clarissimo viro D. IOHANNI BAVHINO Doctori medico Germano celeberrimo doctissimoq;, amico suo obseruando: LVGDVNI,

S.

LITERAE tuæ Ianuarij 22. datæ his diebus mihi redditæ sunt. Libelli tui de peste præstare videtur vt differatur editio. nam Typographi quoq; cum pestis iam desierit Dei gratia nō facile admitterēt, & tu fortè per otium maturius aliqua considerabis, vt cum aliis quibusdam tuis aliquādo in lucē & vtilitatē publicā edas. Quod vt tibi ex animi sentētia succedat, Deū Opt. Max. oro. Incipit hic parua quædam pestis vagari, Die haupt sucht/sed ex ea paucissimi moriūtur. Vxorē si iam duxisti, oīa fausta & fœlicia tibi precor: sin minus vt ducas suadeo, tū alias, tū ex medicis etiā indicationib. Homo es, humani nihil à te alienū, ætas tua & temperamentum, & instans rerum tempus cōsentiunt. Eritq; hic status studiis tuis, vt spero, commodior & tranquillior. Sed da operam, vt piā, et morib. tuis cōuenientē inuenias, qua in re Deū tibi adesse precor, optoq; ex animo. Plurib. nūc nō licet. D. Io. du Choul, magnificū nobilē, & doctissimū virum cum Dom. Guilhelmo eius filio tanto parente digno, vt meo nomine reuererēter, et officiosè salutes, rogo. Et meo nomine ab eis mihi petas picturam.

floris Apollinis, cuius visi apud ipsos, Cardanus in libris de subtilitate meminit. Semẽ etiam & Bulbũ viuum desidero, vicißim aliquid rari pro eo missurus. Saluta etiam D. Dalechampium, quem nõ dubito picturam eius habere ac descriptionem. Iudicium eius super hoc flore, eiusq́; nomine require, & tute si potes herbam viuentem & florentem inspice ac describe, si placet: in reliq̃s tuis descriptionibus hæc etiam accedat. Vallerandum nostrum putabam in Græciam nauigasse, si ad vos rediјt, cupio eũ salutari ex me, & interrogari an literas meas quas non ita pridem Venetias ad ipsum dedi, acceperit. Moschum audimus iterum inuasisse Lithuaniam, & prælio victorem castrum quoddam munitißimum occupasse. Vale fœliciter. Tiguri 1565. Februar. 25

T. CONR. GESNERVS.

Præstanti doctrina, & virtute viro D. IOHANNI BAVHINO Germano, totius rei Medicæ scientissimo, amico syncero & percharo suo: LVGDVNI,

S.

C*VM mihi ex improuiso daretur nũcius, Charißime Dom. Bauhine, accepto calamo hæc effudi. Nuper vltimis tuis respondi: sed quia hic Tabellarius breui huc puto rediturus est, nolui te ꝑ*

ipsum

ipſum ſalutare. D. Dalechampij literas (ſcripſi ad eum 7. Ianuarij: & miſi pro D. Conſtantino literas) expecto. Mercatores Sangallenſes non vidi, alioquin per ipſos ad eum ſcripſiſſem. Teneor deſiderio Scaligeri & Conſtantini librorum & Theophraſti in primis. Audiſtine quicquam aut vidiſti ſpecimen Laur. Grylli Medici Auguſtani defuncti annotationũ in Dioſcoridem? Memini D. Zuinggerum olim ſpecimen ad me miſiſſe, quod perplacuit. Sunt qui dicant illum à Rondeletio ſuffuratum eſſe, de quo nunquid tibi conſtet ſcribe. In re medica ſi quid lectu dignum prodijt, mone D. Gryphium vt mittat, cui etiam ex me ſalutato, indicabis Ioan. Friſium obijſſe, & filium natu maiorem ei ſuccedere: Lutetiæ ſi Fernelij aliquid nouum aliunde prodijt, per Santgallenſes mittat. Extat libellus inſcriptus: Recueil de la diuerſite des habitz, qui ſont du preſent, &c. Pariſiis 1562. in 8. hunc inter alios peto. Matrimonium an tibi ſit contractum: quid agas, vt valeas, quid mediteris, fac ſciam. Ego in meo ſtirpium Oceano penè ſubmergor, & obruor multitudine rerum. Florem Apollinis à Clariſs. viro D. Ioan. du Choul, cuius meminit Cardanus, vt proximè Febr. die 25. & pridie Decembr. 18. die ſcripſi, ipſum aut pictum mittas, iterum atq; iterum rogo. Seminum ſi quid eſt rariorum adde. Aeſtate ſuperiori mihi promittebas deſcriptionem thermarum quarundam: quam peto adhuc qua-

lemcunque, & serpentis qui eas frequẽtat non venenati. Vallerando si apud vos est, S.P. D. & an diutius mansurus sit scribe, ne frustra ad eum literas dem. Vale Raptim 1563. Martij die 16.

T. CONR. GESNERVS.

Clarissimo viro D. IOHAN. BAVHINO Medico Doctori peritissimo, amico singulari, & Charissimo suo: LVGDVNI,

S.

TE quidem amari à me vnicè in Epistola impressa ad Vallerãdum nostrum, quam ei nũc mitto, vno verbo satis testatus sum, quum meum te appellaui, hoc est mihi meritò Charissimum. Gaudeo quòd te totum ad artem nostram conuertere statuisti. Herbas siccas tuas nunc præ manibus habeo, & breui (cum Deo) absoluam, vt ad te sicut petis remittam. Descriptiones tuas quas mihi dedicasti, pro quo officio aliquando gratus ero. Adrianus Chortander tibi notus, qui nunc mecum est, & me iuuat in colligenda reliqua adhuc stirpium historiam materia, iam descripsit mihi. Libelli nostri de lapidibus, & metallis ad Septembrem, aut paulo antè prodibunt. Literas meas Monspelium ad Dominum Rondeletium

letium, vt maturè mittas valde peto. Domino Vallerando me commenda. Est'ne is affinis tuus, aut quam vxorē apud vos duxit. In Dioscoridem Commētarium Rondeletij iampridem Domino parēti tuo Basileam remisi, stirpium descriptiones recognoscere te, & aliquando edere cupio, sunt enim dignæ. Saluta Dominum Dalechampium, qui vt valeat, quid agat scire cupio. De Domino Solerio Medico pio & erudito Gratianopoli, etiam si quid cognoueris, vt valeat, & quando descriptiones accuratißimæ stirpium, & doctißima in Theophrastum Commentaria (de quibus fortè scierit aliquid Dominus Antonius Gryphius) sicut ea etiam quæ Dominus Constantinus parat, significa quæso. Vale in Domino. Tiguri 1565. Iulij nono.

T. CONR. GESNERVS.

Clarissimo viro Domino IOHANNI BAVHINO, Medico pereruditо & fideli, Amico Charissimo, & obseruandissimo suo: LVGDVNI,

S.

HERI *Gallo Iuueni prouinciali ad te proficiscenti D. Bauhine, vt te salutaret mādaui. hodie patrueli meo Francofordiam descensuro hos*

epiſtolium dare volui, vt eius occaſione libellos noſtros de lapidibus & metallis ad te mitteret. Exemplaria libellorum duo ſunt: vnum pro te, alterum pro Vallerando noſtro, cui nuper etiam ſpecimen eius operis & dedicationis ei factæ miſi. Audio te quoque ſtirpium hiſtoriam ſcribere. id ſi facis, præcor tibi omnia eam in rem fœlicia, nec eſt quod me cœles, qui omnium optimè fero riuales. Tantũ enim abeſt, vt dehortari te ab eo propoſito velim, vt potius ſim adiuturus, ſi quid poſſum, mihi crede. Multa tu vidiſti & multa potes, quæ ego non poſſum & ætas vegeta eſt. Vale et ignoſce breuitati, quod merito facies, qui nimiũ breuis es, hoc eſt iam diu nullas ad me ſcribendo. Saluta Vallerandum, & amicos D. Dalechampio libellos noſtros te oſtendere cupio, quos ſi & ipſe deſideret, mittam ad eum aliàs, quamquam ipſe iamdiu ſcribendi officio intermiſſo pertæſus amicitiæ noſtræ videtur. Sicut & D. Conſtantinus fortaßis, quod mihi ſanè moleſtum accidit, præſertim ſi animi alienati fuerint. Literis enim carere poſſum, cum & ipſe ſim perpetuò occupatißimus. Tiguri 1565. Pridie Kalend. Septembr.

T. CONR. GESNERVS.

Cla-

Clarissimo viro D. IOHANNI BAVHINO Iuniori, Medico doctissimo, amico candido & syncero: LVGDVNI,

S.

PICTOR meus, cùm aliquandiu meliusculè habuisset à cephalæa grauissima, rursus in eam incidit: sed iam denuò conualescit. Itaque spero me breui ad te missurum tua omnia. Interim descriptiones præmittam Basileam ad parentem. nã hinc neq; rectà ad vos, neq; Geneuam mittendi occasio vlla datur. Laurentij Grylli dictatorum in Dioscoridem specimen quoddã memini D Zuinggerum olim ad me misisse: cui ego paulo pòst remisi: à te verò eiusdem authoris vnquã accepisse quicquam, non memini. Rondeletij quidem scripta in capita aliquot libri primi à te accepi: quæ ante menses aliquot Basileam ad patrem tuum remisi: ipse an acceperit (de quo tamen non dubito) nõ rescripsit. Suspicantur aũt aliqui, Gryllum Rondeletij siue scripta siue dictata sibi vsurpasse: de quo certior à te fieri cupio. D. Constantino ipse scribam. Miror aũt te cælare me institutum tuum circa stirpium cõmentarios, & nunc demum de solis arboribus te aliquid moliri significare: cũ iampridem ex aliis intellexerim, te vniuersam stirpium historiam persequi: & quæ D. Dalechampius habebat, ab eo te accepisse omnia. quod vt fœlix faustumq;

tibi sit opto, & ex animi sententia eueniat. Noli existimare, me inuidere tibi, quem semper amaui, & ad hæc studia amplectenda primus aut inter primos, author fui. Non inuideo tibi, mi Bauhine: sed bene precor, & plures etiam esse optarem, qui hanc Naturæ partem excolerent. Nam ea plurimum oblector: & discere mihi iucundius est, quàm docere: & diligentiam tuam noui. Proinde si quid est, in quo institutum illud tuum pulcherrimum promouere queam, ne parcito mihi: & omnia ingenuè mihi exponito. Longè à Matthioli, Fuchsij, & ambitiosis huiusmodi ingeniis absum. Ego hoc tempore in stirpibus totus delitesco: & rogo si quid earum habes, per interualla communices, oblectandi me gratia. Vix enim aliud ex rebus terrenis oblectamenti genus habeo: & senectus mihi molesta esse incipit. Examen tuum in Theriacam videre quidem cuperem: sed Typographus qui excudat, vix apud nos inuenietur. Si tamen apud nos nō sit qui suscipiat: mitte, & curabo quantū in me fuerit, vt hic vel alibi ꝓdeat. Indices Aldroādi etiam cum descriptionib. stirpium tuis tibi remitto. Pro Epimenidio D. Valerando, quem plurimū saluto, gratias ago. Libellos nostros de Metallis & lapidib. accepisse vos spero. De eo quod me monuisti, Scillam albā à Damocrate in Theriaca requiri, gratiā ago: & de reliquis in scheda (quæ nūc ad manum non est) à te annotatis. Costus Arabica,

D.Da-

D. Dalechāpij videtur propius ad Secacul Arabum accedere (si descriptiones Serapionis & Mesue inspicias) quā species illa Zinziberis, Meggina vulgò dicta. Vtraq; enim similis est Zinziberi. Sed hæc minor, illa maior, &c. Est aūt Zinziberis similitudo Secacul nō in magnitudine solùm & figura: sed tota substantia & fibris interiorib. Megginā etiā puto semper cariosam esse, & inter Zedoarias Carpentorax nescio vnde dictā radicē: maior verò species integra esse solet: quæ an apud vos, an Venetijs vendi publicè soleat, & quanti, scire cupio. De Iocosto, id est, Costo violam reddente, &c. & vbi inuenerim hoc nomē, aliàs, si petas, intelliges. Vale Tig. 11. Octo.

T. CONR. GESNERVS.

D. IOHANNI BAVHINO F. Medico LVGDVNI, S.

NVNCIVM hunc commodum nactus, quin te salutarem, prætermittere nolui: etsi tu rarius & parcius ad me scribere soleas. Cōualuit pictor meus: quamobrem herbas tuas sperabis breui ad te mittendas. Nunc enim in picturis toti sumus. Quæsieras ex me vltimis puto tuis, quid de eruo sentirem. Miror equidem, Galenum in Scillinis trochiscis, eruum, aut eius loco panis micam eis addi iubere: cùm hæc dulcis, eruum verò (ipso teste) amarißimum sit: adeò vt vel totam theriacam suo sapore amaro inficiat. Ego Pharmacopolis nostris

suasi, vt dictamni vulgaris radicem (id est Fraxinellæ) erui loco potiùs, quàm panis medullam ponant. nam & amara ea radix est, & vim contra venena ac pestem non vulgarem habet. Inter legumina præter Lupinum, nullum adhuc amarum inueni: posset autem erui loco etiam lupinus, præsertim syluestris, vtpote amarior sicciorq́; accipi. Velim te per ocium considerare quæ Theophrastus de eruo diuersis in locis scribit. Historiæ libro octauo, capite quinto, coloris in eo differentiam esse scribit, & candidum dulcius esse. Siliquas eius cylindratas ferè apparere, & in eis semina non intersepta: sed quasi inuicem contigua, sicut & pisi. Et alibi, fructus (siue grana) rotundos esse inquit, modo piperis. Hæc & alia à Theophrasto scripta, tu considera. Ad D. Valerandum scribo de Costo: & ea quoque in re iudicium tuum requiro. Nuper in Theophrasto longo tempore intermisso cùm me oblectarem, quæ de Scorpio herba spinosa scribit, loca conferre & perpendere volui. quod si te quoq; & D. Dalechampium in sententiam meam pertraxero, perquàm gratum id mihi erit. Sin minùs, rationes vestras in contrarium intelligere cupio. De Pitine & Ceanotho corruptis apud Theophrastum vocabulis, aliâs (ni fallor) ad te scripsi. Dentariæ Rondeletij florum & fructus picturam accuratam desidero, tu à me vicißim quod voles pete: & in tuo herbario gnauiter perge, sicut & ego

ego facio in meo, ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι. Addidi libellum de Galeni operibus Venetijs excusis: cui respondebit Gadaldinus pro se & Iuntis. Ego Gadaldini eruditionem Rasario longè præfero. Hic enim Oribasium pessime versum nobis dedit. Ego nec Iuntarum nec Valguisianam editionem vidi. Tu si per ocium videris, vel aliorum etiam iudicia audieris, aliquando paucis ad me scribe. Vale. Tiguri 1565. Octobr. die 29.

T. CONR. GESNERVS.

S.

M*I D. Bauhine, nuper ad te scripsi, & ad D. Valerandum quoq; bis, & dedicatam ei à me Epistolam impressam misi. Hunc fasciculum vt diligentissimè curetis obsecro: & vno verbo statim significetis, an ad vos peruenerit.*

T. CONR. GESNERVS.

Domino IOHANNI BAVHINO Medico præclaro: BASILEAE,

S.

C*LARISSIME D. Bauhine, misi ad te iampridem à filio tuo qui Lugduni est, commodatos mihi Rondeletij in Dioscorid. lib. 1. Commentarios, quos an acceperis significa quæso vno verbo, & simul an fasciculum, quem nunc mitto acceperis, qui stirpium descriptiones mihi ab ipso dedicatas*

continet, & Indicem rerum variarum, Aldronandi Bononiensis. Quæ omnia velim te vt ipse cupit primo quoq; tempore ad ipsum transmittere. Ego ex nostra vrbe mittere non possum: cũ neq; libri, neq; aliæ merces à nobis aut per nos Lugdunum vehantur. Stirpes ipsas aridas quoq; cum potero primum mittam. Diu ægrotauit pictor meus, & nuper etiã in recidiuam incidit, quare eius opera vti nõ potui, quod breui spero fiet. iam enim rursus conualescit. Audio & filium tuum integros de plantis cõmentarios parare, etsi ipse hactenus cælauit. Ego verò non inuideo, sed gaudeo potius, à multis pulcherrimam hanc naturæ partẽ excoli, & illustrari: quod si eum etiã iuuare possem hac in parte, facerẽ sanè candidè. Hoc epistolium si placet, ad ipsum mittes. Vale Tiguri 1565. Octobr. 6.

T. CONR. GESNERVS.

Ornatissimo Iuueni D. ANTONIO RAPHAELI Gallo. CONR. GESNERVS S. dicit in Domino.

LVGDVNVM cũ veneris Charissime mi D. Raphael, D. Ioan. Bauhinũ meum amãtissimè ex me salutato, vnà cũ Vallerando Durez, Flandro Pharmacopola. libellos meos de metallis & lapidib. Francofordia ad se mittendos expectabũt. Scribere nõ vacauit. Pruna illa quæ Partegons vocatis, paucula

cula ad me mittere aliquando memineris, & citrum, & si quid aliud admiratione dignum occurret. Mihi aũt vicißim imperabis, cupio enim tibi optimè de me merito, paria facere, & meam erga te voluntatem vicißim declarare. Myricæ seu Tamarisci arboris fructum, si fert apud vos, libẽter videro: sin minus, paucula eius semina colligenda mihi cura, & cõmenda me alicui Medico, viro bono et docto in patria, qui semina aliqua rara ad me mittat, & meã stirpium historiam iuuet: pollicêre me non ingratum fore. Miserã vicißim aliqua munuscula chartacea saltẽ, & honorificã in scriptis meis facturum eius mentionem. Lugdunum omnia rectè mittentur ad Antonium Gryphium typographum, vel D. Io. Bauhinũ, aut Vallerandum Durez, Flandrum Pharmacopolam. De Indice ficu dicta, quæ folium è folio emittit, cuperem habere fructum, & semina paucula Monspelio accerses à D. Pena, vel D. Rondeletio, si aliunde non potes. Medicis doctis nota est arbuscula Deus Opt. Max per hanc viam, & totam deinceps vitam tuam te dirigat Spiritu suo, & protegat in perpetuum. Amen.

Tiguri 1565. Augusti die 29.

FINIS EPISTOLARVM.



